B. N. C.
FIRENZE
1086
6

Digitized by Google

Digitized by Google

1086.6

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLA

AD

EMINENTISSIMUM AC REVERENDISSIMUM

D. D.

ANGELUM MARIAM

TITULI S. MARCI

CARDINALEM QUIRINUM

BRIXIÆ EPISCOPUM ET BIBLIOTHECARIUM

VATICANUM CET.

QUA

OCCASIONE EDENDI

DIONIS CASSII

AD

NICOLAI CARMINII FALCONIS

J. U. ET S. THEOL. DOCT. ET PROTON. AP.

EDITIONEM TRIUM ULTIMORUM

DIONIS LIBRORUM

EX ANTIQUISSIMO CODICE RESTITUTORUM

ANIMADVERSIONES

NONNULLAS

SUMMI VIRI JUDICIO

SUBMITTIT

HERMANNUS SAMUEL REIMARUS

P. P. HAMB.

HAMBURGI, APUD JO. CAROLUM BOHNIUM

M DCC XLVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Eminentiſſime ac Reverendiſſime Cardinalis.

Viſus eſt mihi Nicolaus Carminius Falco, Vir Clariſſimus, & de Dionis Caſſii hiſtoria extrema diligenter meritus, argumentum ſuppeditare non prorſus indignum, quo Te publice affarer. Nam cum ego ſuperiorem annum in magna parte Xiphilini, & ultimis hisce Dionis libris, quos ille Falco Veſter ex antiquiſſimo Codice vulgavit, recenſendis contriviſſem, lentiusque mihi adhuc totum negotium proceſſiſſet, quam vel ipſe optarem, vel Tua, Cardinalis Eminentiſſime, ferre videretur exſpectatio: faciendum putavi, ut Tibi de cauſis conſtaret, quæ editionem, quam paro, Dionis & Xiphilini, per annos jam compluſculos moratæ ſunt; utque intelligeres in primis ſpecimine aliquo, quantum mihi adhuc ſalebrarum in hoc ſcriptore, poſt tot virorum doctiſſimorum labores, objectum remanſerit. Cui enim hanc cunctationem meam potius excuſatum irem, quam Tibi? qui me dudum varietate lectionum ex duobus bibliothecæ Vaticanæ Codicibus humaniſſime inſtruxeras; qui & privatis Tuis literis incitabas ſubinde, & editis in vulgus ſemel atque iterum mentionem inſtituti a me operis adſpergere dignabare; imo qui induſtriam meam munero liberaliſſimo, & præterea tot tantisque ex eo tempore transmiſſis Tui ingenii documentis, Corcyræ Primordiis, Philaſtrio, literatura Brixiana, Franciſci Barbari & Cardinalis Poli

vita

vita atque epiſtolis, itemque Tuis ad eruditos diſputationibus bene multis, quaſi ſtimulis quibusdam, provocaſti. Enimvero id primum verecunde & ſubmiſſe abs Te peto, ne alios, & me quidem vel maxime, tardioris ingenii hominem, ex Tuæ non modo doctrinæ, ſane quam diffuſæ, copia, ſed & mentis mira & ſagaci celeritate, atque adeo expedito in tanta negotiorum mole ſtudio, & ſcribendi facilitate, metiare. Hæc præcipua Tibi ſunt decora, quibus, haud profecto minus, quam purpura Tua, Eminentiſſimus, aut natalibus, Illuſtriſſimus merito audis; præſertim cum illa ſoleas prolixa benignitate erga alios, & juvandis liberaliſſime hominum etiam exterorum conatibus, ſicut ad communem utilitatem, ita ad Tui ſingularem admirationem, cultum amoremque convertere. De mea autem tenuitate, ſi quæ unquam profutura, certe pauca, exilia, ſera, & multo tamen meo labore quæſita, debes exſpectare. Memineris etiam, quæſo, veterum querelarum mearum, quarum ne nunc quidem ceſſat materia, de noctibus multis mihi inſomnibus, deque valetudinis debilitate interdum erumpente in morbum. Quæ quidem incommoda ita affligunt vigorem mentis, ut ſuſpendere identidem ſtudia literarum, & differre ſpem mihi aliisque factam cogar; abunde tum contentus, ſi muneris publice demandati partes quodammodo implere, & expedire domeſticas rationes poſſim. Neque tamen ego naturam unam & tempora mea, quin me potius ipſum haud leviter accuſo in eo, quod jam ab initio præcipere cogitatione, & figere jam mente ſim auſus terminum ſuſcepti laboris, & eum quidem longe anguſtiorem, quam amplitudo & difficultas rei, præſertim in tanta virium mearum infirmitate, pateretur. Quare ſi quid mihi quondam ad Te ſcribenti ejusmodi verbulum excidit, quod dudum finem operæ certum & propinquiorem ſtatueret, non recuſo, quominus me præcipiti quadam ſpe lapſum exiſtimes. Nam initio, cum præſtantiſſimas illas Fabricii τοῦ πάνυ animadverſiones ad Dionem, omni refertas eruditione vidiſ-

vidiſſem, perſuadebam mihi, eas & græcis, & latinæ eorum interpretationi, emendandis facile ſuffecturas; ad Xiphilinum autem & fragmenta Dionis, quæ plane non tetigerat ſocer meus, nullis adeo opus fore annotationibus arbitrabar; operamque meam omnem, & eam non adeo multam, in expoliendis, apteque diſponendis & conjungendis iis, quæ reperiſſem ſatis inſtructa ab aliis, poſitam fore; denique, quando ad extremos Dionis libros a Falcone editos ex optimo Codice, & obſervationibus illuſtratos, ventum eſſet, correctionibus meis aut acceſſionibus vix locum fore exiſtimabam. Verum me in his pleriſque ſpes & opinio mea fefellit; & ita fefellit, ut quo plus jam ſtudii in hoc opere conſumſiſſem, eo plus ſupereſſe adhuc intelligerem demum. Accidit mihi quod viatoribus, qui arcem, quo tendunt, velut propinquam ſatis proſpectant ſemper, ambages & ſalebras interjectas non proſpiciunt; & profligato jam maximo ſpatio, non propius ſibi, ſed longius abeſſe a ſcopo videntur. Nolo de ſingulis dicere, quæ jam, ut potui, ſuperavi: vel extrema hæc Dionis, quis non exiſtimaſſet, ſtudio Falconis tam expedita fore, ut curſim & inoffenſo pede tranſiliri poſſent; præſertim trita jam ante eum veſtigiis ſummorum virorum, Urſini, Leunclavii, Sylburgii? Et eſt ſane diligentia Viri ſummopere prædicanda, qua Dionem ex vetuſtiſſimo Codice, acceſſionibus nonnullis, Urſino neglectis, auctiorem voluit dare, atque in ea re, quantum judico, accurate ſatis & religioſe verſatus eſt. Verum non dubito, Cardinalis Eminentiſſime, Te pro Tua ſumma in his literis ſcientia, perſpecturum ſimul ex dicendis, non tam occaſionem mihi ab eo relictam fuiſſe, quam neceſſitatem impoſitam, refingendi & reſcribendi quam plurima. Quæ ego nunc, non tantum ad excuſandam Tibi aliquatenus tarditatem meam, indicanda duxi; ſed, ſi Tuo præſertim acuto judicio ſtabunt, præterire etiam ſilentio in Dione ipſo vix poſſim. Puto enim officii eſſe eorum, qui ad ſcriptores veteres curam applicant ſuam, ut præter codicum

& editionum omnium lectiones, doctorum quoque virorum emendationes, & conjecturas ſollicite recenſeant, examinent, & cauſas cur ab iis diſceſſerint, breviter & modeſte exponant. Quod argumentum, nunc Tibi propoſitum, ſi forte nonnullis, vel propterea, quod græca tractat, quod ad literulas & voces adhæreſcit, exile & ſummorum virorum perſonis minus dignum videbitur, Tibi certe, artifici & æſtimatori elegantioris doctrinæ non ingratum fuerit, qui ipſe variis in ſcriptis ex hoc genere ſtudii ornamenta Tuæ purpuræ paraſti; qui me olim in Dione aliquid emendationis tentantem ſcite admonere non gravatus es; * qui denique perſpicis optime, quoniam ſcientia omnis humana literis & vocibus continetur, nos ſine critica arte, pro ſcriptis veterum, nil niſi imperita librariorum errata, aut commenta falſariorum, pro græcis latinisque leporibus, barbaram & ſolœcam ſtribliginem, pro hiſtoria, nugas & fabulas, pro ipſis denique divinis literis, mera hominum ſomnia habituros. Quanquam vero in exercitationibus hujus fori evitari non poteſt, quin lapſus aliorum, qui certe nobis videntur, ſimpliciter prodamus, faciam tamen profecto, ut intelligas, me a mordaci acerbitate quam maxime abhorrere, tantumque abeſſe, ut memet ipſum ab hallucinationibus immunem credam, ut mitibus mihi & æquis viciſſim judicibus fore opus in poſterum arbitrer. Nunc autem vel maxime memini, me ſcribere ad Virum, apud quem humanitas omnis & Muſæ manſuetiores domicilium habent: cujus ego oculis nolim quicquam a me indecens, & inurbanum afferri. Igitur ſerena fronte, Cardinalis Eminentiſſime, accipies, ſpero, quæ mihi in Falconis libello emendationem admittere viſa ſunt; & ſingula hæc ea quoque ex ratione ad Te perſcripta exiſtimabis, ut Tuo potiſſimum ſtent cadantve judicio.

Præmi-

* in epiſtola ad V. Cl. Nic. Freretum, Secretarium Academiæ Gallicæ inſcriptionum, datam Brixiæ 1743. 4. p. 37. ſq.

* * *

Præmiſit Cl. Falco tribus ultimis libris Romanæ Dionis hiſtoriæ, fragmentum unicum libri primi, & ſumma hujus libri capita: quæ petita non ſunt ex eodem codice antiquiſſimo, ex quo cetera. Scribit enim in præf. p. XXVI. init. *Dionis etiam primi libri initia inſperato alibi nactus ſum.* Unde ergo habeat, aut cujus fidei ſint ſumma capita; non dixerim. At dum *inſperato* ſe nactum ait fragmentum ipſum, idque ſeparatim edere operæ pretium duxit, colligo, eum pro inedito habuiſſe. Exſtat autem, & plenius multo, inter fragmenta, in Collectaneis Conſtantini Porphyrogenetæ ex codice Peireſciano publici juris facta a Valeſio, p. 569. Verum id facile accidit etiam eruditiſſimis, ut pro ineditis habere poſſint edita, niſi recenti adhuc memoria teneant lecta: ſicut & Valeſio, at quantæ lectionis & ingenii viro, uſu venit; qui p. 775. ex Suida in *ςάδιον* affert fragmentum Dionis, velut ad librum XXIX. deperditum ſpectans, quod legitur vulgo in libro XXXIX. p. 111. A. edit. Wech. Quodſi autem Falco ſuum illud fragmentum ſciviſſet jam a Valeſio vulgatum, *primi libri initia* in eo non quæſiviſſet; nam ex Excerptis illis Peireſcianis manifeſtum eſt, ad Numæ tempora pertinere. Dio autem orſus eſt a temporibus antiquiſſimis ante Romulum.

Pag. 2. (Wech. 881. A.) Antoninus Caracalla in Parthos duxit, ſub ſpecie, *ὅτι οὐκ ἠθέλησεν αὐτῷ ὁ Ἀρτάβανος τὴν θυγατέρα μνηςευσαμένῳ συνοικίσαι*, *quod Artabanus ei filiam, quam ambiverat, nollet uxorem dare.* Ita recte Xylander Blanci verſionem recognoverat; ita quoque Leunclavius. Sed Noſter revocandam ſibi putavit Blanci verſionem, *quod Artabanus filiam, quam ei deſponderat, nollet uxorem dare.* Verum, ſi qui ambiunt virginem, ſtatim ſibi deſponſatam haberent, eſſet cur ſibi gratularentur multi amatores. *Μνηςεύεσθαι* non tantum eſt deſponſari vel deſponſatam eſſe, ſed & procare. Pollux Onom. lib. III. ſect. 34. *ὁ μὲν ἀνὴρ, πρὸ μὲν τοῦ γῆμαι, μνηςὴρ καὶ μνώμενος, καὶ τὸ ἔργον μνηςεία, καὶ μνηςεύσασθαι. Vir priusquam ducat, procus & procans, ipſum vero opus ambitus virginis, procare.* Res vel ex vulgaribus Lexicis nota eſt: & eodem modo ſæpius apud Plutarchum, cum generatim de ambientibus honores, tum ſpeciatim de procis. v.g. in Amatorio, p. 774. D. *ταύτην ἐμνηςεύοντο νεανίαι τριάκοντα, juvenes*

triginta

Digitized by Google

triginta ambiebant. Unde de Gorgone ait, p. 766. D. eam περιμάχητον & πολυμνήστευτον fuiſſe, quod a multis certatim peteretur. Zonaras quidem p. 614. A. edit. Cang. ſic utique accepit factum, quaſi Artabanus filiam ei vere deſponderit; ſed ſimul ita informavit orationem: Ἀρτάβανος τὴν θυγατέρα ἑαυτοῦ αὐτῷ μνηστευσάμενος. Quid ergo? dicemusne aliquid mutandum eſſe in Xiphilino, aut verſione ejus, ut vel pro μνηστευσαμένῳ legatur μνηστευσάμενος, vel id ipſum μνηστευσαμένῳ reddatur quaſi *ſibi deſponſato?* Poſterius nemo dixerit: neque ego crediderim prius. Rem copioſiſſime exponit Herodianus lib. IV. pag. 551. edit. Sylb. Narrat enim rationes, quibus uſus Antoninus, filiam Artabani per epiſtolam petiit; narrat item Artabani, quibus conditionem adſpernatus eſt. Sed ad alteras Antonini literas, jure jurando confirmatas, adjunctis etiam donis, permovetur tandem Rex, ut promittat filiam. Tum venit Antoninus cum copiis; & ſubdole Artabanum, qui eum amice velut generum volebat recipere, aggreditur, multos cædit, vaſtat & diripit omnia. Jam contendenti Xiphilinum cum Herodiano facile dilucet, de poſteriore Artabani promiſſo nihil eſſe apud Xiphilinum; nec enim, teſte Herodiano, poſt datum promiſſum negavit denuo ſe daturum filiam, ſed potius admiſit tanquam amicum & generum. Ergo Xiphilinus omiſſo iterato Antonini conatu per literas, omiſſa item fraude & perfidia ejus, ita rem exponit, quaſi Antoninus ambiens filiam, poſt primam ſtatim repulſam acceptam, in Parthos duxerit. Nihil ergo, quantum video, apud Xiphil. fuerit mutandum.

P. 3. med. (Wech. 881. B.) ἐς χεῖρας αὐτῷ συνῆλθον· οὐδ᾽ οὖν οὐδὲ ἔχον τι &c. Mutavit hic Falco lectionem receptam ab omnibus, ἐς χεῖρας αὐτῷ ἦλθον· οὐκ οὖν οὐδὲ ἔχον τι. Mutavit autem ex ingenio ſuo, cum codex antiquus hic nondum incipiat; nec Zonaras etiam aut alius quisquam præiverit. Συνῆλθον inquit in nott. p. 108. a. *potius quam* ἦλθον, *quod habet Xiphilinus, hic videtur eſſe e Dione.* Sed meus Index in Dionem quam plurima exempla oſtendet phraſeos ἐς χεῖρας ἐλθεῖν, (pag. 93. B. 112. C. 133. B. 172. D. 177. D. 179. A. 190. D. 216. D. &c.) item ἐς χεῖρας ἥκειν, ἐς χεῖρας ἰέναι, ἐς χεῖρας ἄγειν, ſed nullum adhuc exemplum præfert alterius ἐς χεῖρας συνέρχεσθαι. Quare non dubitavi hic rejicere Falconis novam lectionem, & veterem reſcribere.

P. 3.

P. 3. fin. *ὡς καὶ τὸν οἶνον ἀπολέσαι.* Hic duo vocabula, ex editionibus Xiphil. ad ſenſum neceſſaria, ſuppleri debent, *ὡς καὶ τὸν ἀσκὸν καὶ τὸν οἶνον ἀπολέσαι.* Scilicet duo milites de utre vini rapto rixantes, poſtquam litem ad Antoninum detuliſſent, juſſi eum partiri, diſtrictis gladiis medium ſecant, præſente Imperatore, quaſi hunc quoque una cum vino dimidiatum accepturi. Sed hæc omiſſio editionis Rom. operarum negligentiæ tribuenda eſt. Profero hic rem maxime ex ea ratione, quoniam mihi ſuſpecta eſt lectio Xiphilini, quaſi Antoninus juſſerit *νείμασθαι τὸν οἶνον*, *vinum dividere.* Certe, ſi ita ſcripſit Xiphilinus, frigide rem narraſſe cenſendus eſt. Procul dubio enim cavillati ſunt milites in voce, & cum Imperator juberet *utrem partiri νείμασθαι τὸν ἀσκὸν*, intelligens vinum eo contentum, (uti loqui moris eſt in omnibus linguis) id illi in ludibrium Antonini ad literam interpretati ſunt, & utrem ipſum ſecuerunt, effuſo in conſpectu ejus vino.

Pag. 4. init. (Wech. p. 881. C.) *ἵνα παρασκευάσονται.* leg. *ἵνα παρασκευάσωνται.* Ibid. ante med. (Wech. D.) *ἐκδιητοῦτο.* leg. *ἐκδιητᾶτο.* Ibid. fin. (Exc. Peir. p. 758.) *καθ' ἃ ἐγεγένητό τις.* leg. *ἐγεγέννητο.* Sed hæc forte errata ſunt typographi.

Ibid. init. Antoninus Caracalla ad ſenatum ſcribens, inter alia ſe effert, *ὅτι λέων τις ἐξαίφνης ἐξ ὄρους καταδραμὼν συνεμάχησεν αὐτῷ.* Falco: *poſtquam leo quidam, qui deſcenderat improviſo de monte, pro eo in hoſtes pugnavit:* & ſic poſt Xylandrum Leunclavius, *pro eo pugnaſſet.* Sed male mihi hi interpretes deſeruiſſe videntur Blanci verſionem, quanquam alias ſæpiſſime reprehendendam, hoc tamen loco veriorem, quando *συνεμάχησεν αὐτῷ* reddit, *quod cum leone pugnaſſet.* Nam ita Spartianus in Caracalla. cap. 5. *Excepit apros frequenter, contra leonem etiam ſtetit, quod etiam miſſis ad amicos literis gloriatus eſt, ſeque ad Herculis virtutem acceſſiſſe jactavit.* conf. numum apud Triſtanum T. II. p. 168. Fateor quidem, eſſe hanc inſolentiorem verbi ſignificationem, cujus nec exemplum nunc ſtatim ſuccurrit; ſed eam tamen analogia linguæ admittit. Quidni enim *συμμαχεῖν τινὶ*, æque ſignificare poſſit *pugnare cum aliquo*, ac *συνερίζειν τινι*, *contendere cum aliquo*, *συνῄεσαν ἀλλήλοις*, *congreſſi ſunt*, ut cetera, *συγκρούειν τινι*, *συμβαλεῖν τινι*, *συμμίγνυσθαί τινι*, *συμφέρεσθαί τινι*, ſimilem poteſtatem habent; inter quæ ipſa ſunt & mediæ ſignificationis verba, utrumque denotantia. In primis huc ſpectat verbum *συνίστασθαι*, quod cum Dativo ſignificat non tan-

tum ſtare pro aliquo, ſeu ab aliquo, ſed & pugnare contra aliquem. Memorabili eſt locus Plutarchi in Alex. p. 688. E. ubi Craterus dicitur in memoriam pugnæ Alexandri cum leone, Delphis dedicaſſe imaginem *τοῦ βασιλέως τῷ λέοντι συνεςῶτος.* Hic, inquam, locus memorabilis eſt, non tantum dictionis ſimilitudine, ſed & rei. Nam quo magis Antoninus alter volebat Alexander videri, apud Dionem p. 873. ſq. eo magis probabile eſt, eum ſcripſiſſe de ſuo cum leone congreſſu.

Ibid. med. (Exc. Urſ. p. 416.) *καὶ τῷ βιβλίῳ τῷ περὶ αὐτοῦ γραφέντι ἐι, ἐνέτυχον.* Falco: *quod & in libro de rebus ab eo geſtis eique inſcripto ego legi.* Potius: *in librum, quem ea de re ſcripſerat, incidi.* Intelligit enim libellum Antonini, in quo ſcripſerat: *ὁ δεῖνά με φιλεῖ, ἢ ὁ δεῖνά με μισεῖ. bic me diligit, bic me odit,* ut dicitur ſtatim. Eſt autem procul dubio *ὁ δεῖνα* legendum, non, ut Falco contra græcæ linguæ indolem edidit, *δεῖνά με φιλεῖ, ἢ δεῖνά με μισεῖ.*

Ibid. fin. (Exc. Peir. p. 758.) *καὶ μέντοι καὶ τὰ τῶν ἀςέρων διαγράμματα, καθ᾽ ἃ ἐγεγέννητό τις τῶν πρώτων τῶν παρ᾽ αὐτῶν, ἐτεκμαίρετο, ὡς ἔλεγεν, τόν τε οἰκείως ἐι, καὶ τὸν ἀλλοτρίως ἔχοντα.* Senſus quidem patet: habuiſſe eum deſcriptiones aſtrorum, ſub quibus primorum quisque natus eſſet; unde ſe ajebat conjicere, qui propenſo in ſe, qui alieno animo eſſent. Græca autem mendo laborant, præſertim in editione Rom. ubi *τῶν πρώτων τῶν παρ᾽ αὐτῶν, ex eorum primoribus,* conjunguntur, & commate a ſequenti *τεκμαίρετο* diſtinguuntur. In Excerptis Peireſcianis melius omittitur poſterius *τῶν*, & conjunguntur *παρ᾽ αὐτῶν ἐτεκμαίρετο, ex iis* (thematibus natalitiis, ſeu, ut Spartianus appellat, *genituris*) *conjiciebat,* &c. Sed vel ſic laborant antecedentia, quoniam ad *τὰ διαγράμματα* deeſt verbum. Quodſi, pro abundante *τῶν*, liceret *ἔχων*, aut ſimile quid, ſubſtituere, ſenſus foret integer.

P. 5. poſt init. Parthis & Medis bellum parantibus, *ἐν παντὶ δέο . . . ντο.* Hanc lacunam, fugientibus literis ſui codicis, reliquit Falco: & recte id quidem. Sed dum in verſione divinare auſus eſt, ſenſum eſſe, *in omnibus quæ opus erant,* liceat & mihi divinare. Suſpicor autem legendum, *ἐν παντὶ δέους ἐγένοντο,* quæ eſt Dioni familiaris formula, huic loco apta, *in ſummo metu verſabantur.* Sequitur enim, Antoninum ad minitandum audaciſſimum, ſed eundem ad pericula ſubeunda timidiſſimum fuiſſe.

Ibid.

Ibid. med. χειροδωτοὺς χειτῶνας. Melius ceteri, χειριδωτοὺς χιτῶνας. Sic & ſtatim θόρακος pro θώρακος, neſcio annon ſtudio, poſitum; quoniam p. 109. b. diſerte obſervat, θώρακος eſſe in codice.

Ibid. ſub fin. *Antoninus* χλαμύδα τότε μὲν ὁλοπόρφυρον, τότε δὲ μεσόλευκον, ἔστι δ᾽ ὅτε καὶ μεσοπόρφυρον, ὥσπερ καὶ ἐρυθρὸν ἐφόρει, *chlamydem aliquando totam purpuream, aliquando ſemialbam, aliquando ſemipurpuream, ſicut & rubram, geſtabat.* Ita vertit Leunclavius. Noſter corrigere Leunclavium voluit, ἔστι δ᾽ ὅτε καὶ μεσοπόρφυρον interpretatus, *quod eſt nempe ſemipurpuream.* Quaſi vero ἔστι δ᾽ ὅτε idem eſſet ac τοῦτ᾽ ἔστι, & quaſi μεσόλευκος & μεσοπόρφυρος eadem eſſet chlamys. Utrumque perperam. De priori dicere nihil attinet. Quis enim neſcit, pro *interdum, modo*, aut *aliquando* Græcis dici ἔστι μὲν ὅτε ἔστι δ᾽ ὅτε, aut τότε vel τοτὲ μὲν, τότε δὲ, & tertio fere loco, ἔστι δ᾽ ὅτε? Verum quoniam hæc confuſio dictionis peperit etiam confuſionem rerum, & rerum hoc diſcrimen adeo obvium non eſt, conabor explicare, quid interſit inter χλαμύδα μεσόλευκον & μεσοπόρφυρον. Puto autem ante omnia obſervandum eſſe, quod ea chlamys, quæ μεσόλευκος vocatur, ſimul addito πορφυροῦς ſoleat deſignari. Sic veſtis Medorum & Perſarum, *Sarapis* dicta, πορφυροῦς μεσόλευκος χιτὼν, *veſtis purpurea medio albo colore diſtincta,* (ſic interpres) definitur ap. Pollucem VII. 61. & Cyrus ap. Xenophontem lib. VIII. Cyrop. p. 215. B. geſtaſſe dicitur χιτῶνα πορφυροῦν μεσόλευκον. Nec alio ſenſu ap. Athenæum lib. XII. p. 537. E. Alexander Perſico more indutus erat χλαμύδα πορφυρᾶν καὶ χιτῶνα μεσόλευκον, ubi πορφυρᾶν idem eſt quod ὁλοπόρφυρον, & μεσόλευκον idem quod πορφυρᾶν μεσόλευκον. Nam ſic idem Athenæus lib. V. p. 215. C. de Lyſia Epicureo, Tarſi Tyranno, πορφυροῦν μὲν μεσόλευκον χιτῶνα ἐνδεδυκὼς, χλαμύδα δὲ ἐφεστρίδα περιβεβλημμένος πολυτελῆ. Igitur eodem modo & apud Dionem p. 26. A. imaginabimur τὸν χιτῶνα τὸν μεσόλευκον, καὶ τὸν κάνδυν τὸν ὁλοπόρφυρον, quo Tigranes indutus eſſe ſolebat. Erat nempe chlamys, aut veſtis alia, primum ὁλοπόρφυρος, *tota purpurea*, itemque quam Pollux, VII. 46. ex Philetæro Comico memorat, ὁλόλευκος, *tota alba.* Deinde, quæ plurimum celebratur, ex utroque colore tenens aliquid, μεσόλευκος, ſeu πορφυρᾶ μεσόλευκος, quam ego ex analogia aliarum vocum interpretor, purpuream quæ limbo albo ambitur, ſeu ubi purpura medium tenet albi. Nam ita μεσόγαιος, quod medium eſt in terra, μεσεντέριον, quod medium eſt inteſtinorum,

 μεσο-

μεσοκράνιον, quod media eſt cranii pars, *μεσονύκτιον*, quod medium eſt noctis, *μεσοναῦται*, qui medii ſunt inter nautas & vectores. Ergo & *πορφυρᾶ μεσόλευκος* erit purpura, quæ medium tenet albi, ſeu fimbriam habet in circuitu albam, quales fimbrias deſcribit Pollux, & ab pellibus ovium *ὄα* quoque dictas eſſe teſtatur. Denique eſt *μεσοπόρφυρος*, hoc eſt chlamys, ſive alba, ſive auro intexta, ſive alterius coloris, quæ purpura ambitur, quæ & *παραπόρφυρος*, *περιπόρφυρος* & *πλατυπόρφυρος*, item *παρυφὶς* & *ἐυπάρυφις*, *laticlavia & prætexta margine purpureo* vocatur apud Pollucem VII.46.63. qualem auro diſtinctam chlamydem purpuraque prætextam deſcribit Virgil. Æn. V. 250.

- - chlamydem auratam quam plurima circum
Purpura mæandro duplici Melibœa cucurrit.

Vide ad hunc locum interpretes. Non ergo ſunt idem chlamys *μεσόλευκος* & *μεσοπόρφυρος*: neque etiam recte & accurate redduntur *ſemialba*, aut *ex parte alba*; ſed videntur verti debere, *albo* & *purpura prætexta*. Unicum addo de mendo in ſuperioribus Dionis, a nemine animadverſo, quando in omnibus editionibus legitur *ἐρυθρὸν* ſcil. *χλαμύδα*, cum deberet ſcribi *ἐρυθρὰν*. Nam librarii vocibus ſimiliter cadentibus *ὁλοπόρφυρον*, *μεσόλευκον*, *μεσοπόρφυρον*, decepti ſunt, nec errorem ex eadem ratione animadverterunt editores.

Pag.6. (Wech. 881. D. Exc. Urſ. 416. Exc. Peir. 758.) *αὐτόν τε οὖν οἱ βάρβαροι ὁρῶντες ὄντα, καὶ ἐκείνους πολλοὺς μὲν ἀκούοντας εἶναι, ἐκ δὲ δὴ τῆς προτέρας τρυφῆς* &c. Hic deſideratur primum *τοιοῦτον* poſt *οὖν*, quod habent Xiphil. & Exc. Urſ. Deinde integriorem lectionem ſuppeditare videtur Xiphilinus, ex quo apparet manifeſte ſatis, *πολλοὺς μὲν* errore librarii natum eſſe ex *ἐκλελυμένους*, & ad hoc verbum ſpectare illa, *ἐκ τῆς προτέρας τρυφῆς*, non ad ſequentia. Ergo ſic reſtituo: *αὐτόν τε οὖν τοιοῦτον οἱ βάρβαροι ὁρῶντες ὄντα, καὶ ἐκείνους ἐκλελυμένους ἀκούοντες εἶναι ἐκ τῆς προτέρας τρυφῆς*. *cum ergo barbari & ipſum eſſe talem conſpicerent, & milites audirent eſſe diſſolutos luxu ſuperioris temporis.* Sequitur per parentheſin ratio, quam Falco ſic expreſſit: *τά τε γὰρ ἄλλα καὶ ἐν οἰκείᾳ ἐχείμαζον.* In Codice erat *ἰκία*, *quod nos,* inquit Falco, *cum Leunclavio emendavimus*, *οἰκία*. Quidni cum Excerptis Peireſcianis *ἐν οἰκίαις*, quibus quam proxime accedunt Urſinus, Sylb. Pal. Coiſl. *ἐν οἰκίᾳ* legentes, quod in reliquis Xiphilini editionibus perperam conflatum eſt in *ἐνοίκια*. Nam, ut illam lectionem Peireſcia-

nam

nam præferam, facit, quod ad molliorem diſciplinam militarem pertinebat in ædibus hibernare, non in caſtris aut tentoriis; ut ſatis notum. Neque vero hi milites recte dici poterant fuiſſe ἐν οἰκείᾳ, quæ proprie patrium ſolum notat, aut ubi quis ſedem & domicilium habet. Vid. Dionem p. 10. A. 25. D. &c. Sed milites Antonini non erant in ſede ſua & patria, ſed ἐν ὑπηκόῳ aut φιλίᾳ, in regione ſubditorum & ſociorum.

Ibid. med. ὥςε μηδ᾽ ἐκ τῶν λημμάτων ἔτι πεοτιμᾶν. Hiulca dictio, & coacta ſententia, *ut jam ne quidem ex largitionibus rationem ejus haberent.* Meliora docere poterant Excerpta Peir. ὥςε μηδὲν τῶν λημμάτων ἔτι πεοτιμᾶν, *ut jam ne largitionum quidem rationem amplius haberent.*

Pag. 7. init. ἐς τὴν Ῥώμην πεοπεμφθεὶς. In Codice tantum .. φθεὶς; unde rectius ſuppleri debebat πεμφθεὶς ex Xiph. p. 882. A. quod & ipſe Falco fecit in notis.

Pag. 8. init. Serapio quidam Ægyptius, quod Antonini interitum, & Macrini ſucceſſionem prædixiſſet, primum leoni objectus eſt, & cum ab eo læſus non eſſet, ferro deinde occiſus. Καὶ ὁ μὲν πρῶτος λέοντι παραβληθεὶς. Ita Falco, quod in columna Codicis mutilata legebatur πρω - - fecit πρῶτος, redditque *leoni prior objectus eſt.* Id autem alienum: ſcribi debebat πρῶτον. Paulo poſt δυνηθεὶς δ᾽ ἂν edidit, etiam contra Codicem, qui habet δυνηθεὶς ἂν. Nam illud δὲ ſenſum turbat.

Pag. 9. fin. καὶ γὰρ Σκύθας καὶ Κελτοὺς (cum interjectis) καὶ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν ἀφελόμενος. Poterat hic Noſter tuto ſequi Leunclavium, qui p. 891. A. edidit καὶ παίδων καὶ γυναικῶν ἀφελόμενος. Nam illud ἀνδρῶν tolerari plane nequit. Taceo, quæ ſequuntur, ταρτῶν pro θαρσῶν, & ἑκατονταρχίας pro ἑκατονταρχίαις, & initio paginæ ἐπιβεύλευσεν pro ἐπεβούλευσεν, aliaque ejusmodi operarum errata, quæ frequentiora ſunt in omnibus paginis, quam ut commemorari hic in reliquis poſſint.

Pag. 10. ultra med. παμπόλλους ὅσους ἂν θελήσῃ. Hic Falco in notis p. 114. b. miram ſane κρίσιν nobis exhibet: *Xiphilinus, inquit, male ſcripſit ἐθελήσῃ, ni mendum librarii opinemur.* Aliudne agebat vir doctus?

Digitized by Google

Pag. 11. med. Haruſpices monent Antoninum, ut ab ea die (quæ ipſi fatalis fuit) ſibi caveret, *τούτῳ τῷ ῥήματι ἄντικρυς χρησάμενοι, ὅτι αἱ τοῦ ἥπατος τοῦ ἱερείου πύλαι κέκλεινται.* Ita enim legendum, non *κέκλινται*, ut Falco edidit. Hanc formam jam notaverat Sylburgius, a *κλίνω* deſcendentem, non a *κλείω*, quod tamen unice hujus loci eſt. Atque ex eodem Sylburgio, licet obiter id agente, diſci etiam poterat, quæ ſint *αἱ τοῦ ἥπατος πύλαι*, quas nec ceteri interpretes ſatis recte vertunt *fores hepatis;* Noſter autem pejus: *hæc palam verba locuti: Alæ jecoris in victima clauſæ ſunt.* Quid hoc rei eſt, alas claudere? aut quæ tandem ſunt alæ jecoris? Cicero docet, aliter appellari, de N. D. lib. II. cap. 55. *Ex inteſtinis autem & alvo ſecretus a reliquo cibo ſuccus is, quo alimur, permanat ad jecur per quaſdam a medio inteſtino usque ad portas jecoris (ſic enim appellant) ductas & directas vias.* Portæ igitur jecoris dicendæ erant; ſicut & explicat Pollux II. 215. *καλεῖται δὲ τοῦ ἥπατος τὸ μὲν αὐτοῦ πύλαι, καθ᾽ ἃς ὑποδέχεται τὸ αἷμα* &c. Et quis eſt, qui ignoret *venam Portæ* hinc dictam? Dabit plura vel ipſe Theſaurus Gr. L. Stephani, T. III. p. 611. C. & T. II. p. 1343. F. Reddi ergo græca debent: *his diſerte verbis uſi: Portæ jecoris in victima clauſæ ſunt.*

Ibid. ultra med. *ὁμοτράπεζον, ὁμούκλινόν τε ἐποίει.* Scribendum cum Xiphil. *ὁμόκλινον.*

Pag. 12. ante med. (Wech. 892. A.) *ὥστε καὶ ἔφασκεν.* Scribendum cum Urſino & Leunclavio: *ὥσπερ καὶ ἔφασκεν.* Paulo poſt *συλλημφθεὶς*, ut ſemper Falco, Codicis ſui errorem ſuperſtitioſius ſecutus, pro *συλληφθεὶς.*

Ibid. fin. *κατέπεσε μὲν τὸ τοῦ Ἄρεως ἄγαλμα πομπεῦον, ſimulacrum Martis, quod erat habitu triumphali, in terram decidit.* Hic primum in Græcis ſtudio ſcripſiſſe videtur Ἄρεως, ſiquidem in notis p. 115 obſervat, *Urſinus legebat* Ἄρεος. Sed recte hoc ab Urſino, alterum perperam ſcriptum eſt. Ἄγαλμα autem πομπεῦον non debebat verti, *quod erat habitu triumphali*, ſed *in pompa ductum.* Ea enim eſt vis verbi; conſtatque, non in triumphali tantum pompa, ſed & in ſupplicationibus, funeribus, ludis iisque circenſibus maxime, Deorum ſtatuas in thenſis ſuis traduci, & ſimulacra etiam humeris hominum portari conſueviſſe; conſtat item, ex his ſimulacris ſive converſis ſua ſponte, ſive cadentibus portenta captaſſe Romanos.

Ibid.

Ibid. ſeq. (Wech. 883. C.) τὸ δὲ δὴ μέγιςον, ἡττώμενοι οἱ πράσινοι ςρατιῶται, ἔπειτα κολοιὸν ἐπ' ἄκρου τοῦ ὀβελίσκου σφόδρα κράζοντα ἰδόντες, πάντες τε πρὸς αὐτὸν ἀπέβλεψαν. Tria hic ſunt, quæ emendatione indigere viſa ſunt. 1) Ordo narrationis non fert Præſens ἡττώμενοι, vel potius, ut ſcribendum erat, ἡττώμενοι; ſed convenientius eſt Præteritum, ἡττημένοι, quod habet Xiph. 2) Pro ςρατιῶται jam Leunclavius emendatius ſcripſerat ςασιῶται. Nec enim qui certabant in ſpectaculis, milites erant, aut *milites praſini* quidam dicebantur: ſed erant aurigæ, curſu certantes, diviſi in factiones; unde ςασιῶται & ἀντιςασιῶται. Dicebantur autem factiones a coloribus veſtium, erantque primum duæ, *cærulea* ſeu veneta, & *praſina* ſeu viridis. Juvat unum locum Dionis apponere de Caligula p. 650. E. τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο καὶ ἐπὶ τῶν ἵππων, τῶν τε ἡνιόχων τῶν ἀντιςασιωτῶν ἐποίει. Ἰσχυρῶς γὰρ τῷ τὸν βατραχίδα ἐνδύνοντι, καὶ διὰ τοῦτο ἀπὸ τοῦ χρώματος τῷ πρασίνῳ καλουμένῳ, προσέκειτο. *Veneno pariter ſuſtulit equos & aurigas præſtantiſſimos adverſæ factionis. Nam illi factioni, quæ viridi induta erat, atque propterea a colore praſina dicebatur, vehementer erat addictus.* Acceſſerunt deinde ſub Domitiano τοῖς ἁρματηλάταις duæ factiones aliæ aurigarum, *aurea* & *argentea.* ibid. pag. 760. C. Unde apparet, prorſus alienos hic eſſe milites praſinos, & neceſſariam illam ac certam eſſe emendationem. 3) Sed & tertium eſt, quod emendatione indiget. Quid enim opus erat κράζοντα reſcribere, cum in Xiphilino haberemus aptius & proprium huic loco verbum κρώζοντα. Animalium enim voces ſollicite diſtinguunt veteres ſuis quamque vocabulis, ut videre eſt apud Pollucem, V. 89. Quanquam vero ibi dicitur κορώνας κρώζειν, κολοιοὺς κλάζειν ἢ κολοιᾶν, quod reddit doctiſſimus interpres, *graculos frigulare, galgulos glocitare;* tamen cognatorum generum eadem quoque vocabula ſunt. Sane Heſychius κολοιοὶ interpretatur μικραὶ κορωνίαι. Et viciſſim κρωγμὸν κολοιῶν dici in Epigr. obſervat Henricus Stephanus. Hic omnino avis per ſe δυσοιώνιςος intelligenda eſt, eoque accommodata voce uſum eſſe Dionem, vix dubitari poteſt. Cornix autem ſeu graculus infauſta avis, & κρώζειν eſt ὀρνίθων δυσοιωνίςων, ut ait Suidas in κρώζειν. At populus tamen, inquis, vel potius factio praſina, læta acclamatione avem excipit: Μαρτιάλιε χαῖρε, Μαρτιάλιε διὰ χρόνου σε ἑωράκαμεν. *Salve Martialis, diu te, Martialis, non vidimus.* Neque Dio rationem reddere novit, cur Martialem voca-

vocarint avem: nimirum, ut afflatu divino Martialem Antonini percuſſorem indicatum eſſe evincat. Verum longius petita divinatione vix opus eſt. Martis ſimulacrum ante certamen in terram deciderat, victa deinde erat praſina factio, apparebat poſtea graculus crocitans, infauſta avis ſiniſtra prædicens. Ergo *a Marte* irato *immiſſam* avem, bellum aut turbas denunciantem credebant, ideoque *Martialem* ſalutabant. Salutationem quidem iſtam χαῖρε poſſem ita exponere, ut valere juſſerint, ſicut Theſeus apud Euripidem in Hippolyto v. 1058. τοὺς δ' ὑπὲρ κάρα φοιτῶντας ὄρνις πόλλ' ἐγὼ χαίρειν λέγω. *Iſtis vero ſupra caput volantibus avibus longum ego valere dico.* Sed nolo iſtuc confugere: videtur potius ſalutatio fuiſſe ironica, non quidem ex mente Dionis, ſed factionis praſinæ, quaſi diu exſpectatam avem cum gaudio ſcilicet exciperet; cum re vera vellet culpam ſuam & dedecus in mali ominis avem a Marte immiſſam avertere. Verum Falco nos prope hac ſollicitudine levaſſet, quia prima verba Μαρτιάλιε χαῖρε, quæ Xiph. & Urſ. habent, omiſit: perperam tamen.

P. 13. fin. (Wech. 883. D.) καὶ ἐμοὶ ἐπιθύμιον ἐγένετο, ὅτι ἐν τῇ Νικομηδείᾳ τοῖς Κρονείοις ἑςιῶν ἡμᾶς (cum interjectis) ἔφη. *Id mihi quoque venit in mentem, cum Nicomediæ inter epulas, quas nobis præbebat Saturnalibus, dixiſſet.* Græca eodem modo leguntur in Rom. & omnibus Xiphilini editionibus. Videtur autem pro ὅτι legendum eſſe ὅτε, quas particulas ſæpius confuſas a librariis deprehendimus.

P. 14. init. (Wech. 883. E.) κάλλιςα ὦ Δίων καὶ ἀληθέςατα ὁ Εὐριπίδης, ὅτι &c. omiſſum εἰρήκει ante ὅτι, quod habent omnes Xiphilini editiones, & ipſe Falco in notis p. 116. B. Eadem P. 14. med. ἐπειδὴ οὐκ ἐς μακρὰν. Scribendum: ἐπειδὴ δὲ οὐκ ἐς μακράν; ut eſt in ceteris editionibus.

P. 15. init. (Wech. 884. B.) Verſus Euripidis Phœniſſ. v. 20. ſic in Rom. edit. laudatur: σὸς δ' οἶκος πᾶς θήσεται (ſcr. βήσεται) δι' αἵματος. Id autem eſſe contra metrum, non obſervavit Falco. In Euripide ipſo: καὶ πᾶς σὸς οἶκος &c. In Xiphilini editionibus: οἶκος δέ σοι πᾶς βήσεται &c. quæ potius ſequemur.

Ibid. ſub fin. οὐδὲ γὰρ Ἀντωνῖνον αὐτὸν ἐπεκάλουν. Hic eſt omiſſum ἔτι, ante αὐτὸν, quod habet Xiphil. & vix abeſſe poteſt.

Ibid. (Wech. 884. C.) Scribitur, Ταραύταν Antoninum poſt mortem dictum eſſe per ludibrium, ex agnomine cujusdam gladiatoris puſilli,

puſilli, fœdi & ferocis. Urſinus tamen ex ipſo illo Codice antiquo legit in plerisque locis Ταράνταν, atque eodem fere modo Τάραντα Xiph. & Zon. omnes perpetuo cum ν. ſicut & Codex Pal. Quare cum & *Taras*, *Tarantus*, *Tarentum*, non ignota ſint Latinis nomina, *Tarauti* autem ignotum; vulgatam *Taranti* appellationem præferendam puto.

P. 16. med. (Wech. 884. D.) Dioni per quietem viſus eſt Severus, cum concionaretur ad milites, ſtantem ſe in conſpectu, advocare propius, *ut omnia, quæ dicerentur & agerentur, accuratius & intelligeret & conſcriberet.* Græca hic in editione Rom. tribus vocibus mutilata ſunt: ἵνα πάντα καὶ τὰ λεγόμενα καὶ μάθης ἀκριβῶς, καὶ συγγράψης. Ubi καὶ τὰ λεγόμενα, requirunt neceſſario addenda καὶ τὰ γινόμενα, quæ habent Xiphilini editiones. Quanquam vero hæc poſteriora deſunt in Codice antiquo, tamen recte Urſinus adjicienda judicavit; cujus exemplum ſequi debebat Falco, nec, cum altera manu daret nobis, quæ non habebamus, altera, quæ habebamus, rurſus adimere.

Ibid. fin. Καισάριοι. & ſic perpetuo. Sed ſcribendum cum Dione & aliis Καισάρειοι.

P. 17. poſt med. πρὸς μὲν τοῖς τοῦ Σεουήρου τοῖς ὀχήμασιν. Ubi quis non videt alterutrum τοῖς expungendum eſſe? Urſinus quidem poſterius omiſit; ego cum Leunclavio malim prius.

Ibid. fin. ὅσα τε καὶ αὐτογνωμονήσας ἔπραξεν. Corrupta lectio, & minus græca. Melior ὅσα γε καὶ &c. reperitur in Exc. Peir. p. 758. quæ erat retinenda.

P. 18. med. (Wech. 893. C. Exc. Urſ. 421.) ἄλλους ἄλλη διεσπασμένους προσαιτηρίσατο. Scribendum cum Urſino: διεσπαρμένους προσηταιρίσατο.

P. 19. τά τε περὶ τοὺς κλήρους, καὶ περὶ τὰς ἐλευθερίας καταδειχθέντα. Melius Urſinus: καὶ τὰ περὶ τὰς ἐλευθερίας.

P. 21. ante med. καίτοι μὴ θελήσας δεύτερον δὴ τῷ εἰπόντι ἔτι ὑπατεύειν δόξαι, ὅτι τῶν ὑπατευκότων τιμὰς ἐσχήκει. *Macrinus noluit, eum in poſterum videri iterum fuiſſe conſulem, qui honores jam ſe conſulares adeptum diceret.* Locus per ſe memorabilis in conſulum rationibus, miſere fœdatus, & prope ſenſu omni ſpoliatus eſt, transpoſitione vocum τῷ εἰπόντι, ſicut probe odoratus eſt & correxit Leunclavius, emenda-

tione

tione hactenus non dubia: τὸ δεύτερον ὑπατεύειν δόξαι τὸν εἰπόντα ὅτι &c. Melius tamen particulas δὴ & ἔτι retinuiſſet, hoc modo: δεύτερον δὴ ετι ὑπατέυειν δόξαι, τὸν εἰπόντα, ὅτι τῶν ὑπατευκότων τιμὰς ἐχήκει. Nam illud ετι præſertim, prorſus neceſſarium eſſe, patet cum ex ſequentibus ὅπερ ἐπὶ τοῦ Σεουήρου ἀρξάμενον καὶ ὁ ὑὸς αὐτοῦ ἐπεποιήκει, *quod imperante Severo cœptum filius quoque ejus fuerat ſecutus:* tum ex alio Dionis loco, qui hiſtoriam hujus ritus tradit, p. 321. A. ἐυ μέντοι ὡς καὶ δεύτερον ὑπατέυων, ὅτι ταῖς τιμαῖς ταῖς ὑπατικαῖς ἐκεκόσμητο, ἐσεμνύνατο. καὶ τοῦτο καὶ ἔπειτα ἐπὶ πάντων τῶν ὁμοίων μέχρι ἡμῶν ἐτηρήθη. Σεβῆρος γὰρ αὐτοκράτωρ πρῶτος Πλαυτιανὸν ὑπατικαῖς τιμαῖς τιμήσας, καὶ μετὰ τοῦτο ἔς τε τὸ βουλευτικὸν ἐσαγαγὼν, καὶ ὕπατον ἀποδείξας, ὡς καὶ δεύτερον ὑπατέυσαντα ἀνεκήρυξε. καὶ ἀπ᾽ ἐκείνου καὶ ἐφ᾽ ἑτέρων τὸ αὐτὸ ἐγένετο. *Neque tamen* (Cæſar Octavianus) *hunc conſulatum ſuum, quod jam ante conſularibus ornamentis decoratus fuiſſet, ſecundum ambitioſius nuncupavit: idque in ſimilibus deinceps omnibus ad noſtra usque tempora ſervatum eſt. Primus enim Severus imperator, quum Plautiano honores conſulares tribuiſſet, eumque deinde in ſenatum adſcriptum, conſulem deſignaret, velut iterum conſulem renunciari juſſit: quod ipſum poſtea in aliis quoque factum.* Quod igitur præter inſtituta majorum a Severo ejusque filio factum erat, id Macrinus abrogavit, & μὴ ἔτι *non amplius* fieri voluit, ſe ipſum adeo atque collegam Adventum iterum conſules dici nolens. Ita enim Dio h. l. τοῦτο γὰρ δὴ νομιμώτατα καὶ περὶ ἑαυτοῦ καὶ περὶ τοῦ Ἀδουέντου πράξας, ἀλογώτατα Μάρκιόν τε Ἀγρίππαν πρότερον μὲν ἐς Παννονίαν, εἶτ᾽ ἐς Δακίαν ἡγεμονεύσοντα ἔπεμψε. *Et Macrinus quidem ut hoc, vel maxime more majorum, cum in ſe ipſo, tum in Advento fecit, ita præter omnem rationem Marcium Agrippam primum in Pannoniam, hinc in Daciam cum imperio miſit.* Neſcio igitur, an jure in Cel. Relandi Faſtis Conſularibus A. U. C. 970. *Adventus II Conſul* ſcribatur, præſertim cum ipſe Vir Summus nullis in Faſtis aut Inſcriptionibus iterum Conſulem dictum eſſe fateatur. Sed plane divinare non poſſum, quid Falconi venerit in mentem, qui interpretationem latinam in contraria omnia pervertit, commate non poſt πράξας, ſed poſt ἀλογώτατα poſito: *Et Macrinus quidem, ubi hoc in primis ex legum præſcripto, in ſe vero atque in Advento ſumma injuria peregit; Marcium Agrippam* &c.

Ibid. fin. Δέκκιον Τρικκιανὸν, *Deccium Triccianum.* Scribendum Δέκιον, *Decium.*

P. 22.

P. 22. poſt init. Dio ſcribit, Marcium Agrippam, advocatum olim fiſci, ob proditum aliquod negotium in inſulam deportatum eſſe, καὶ μετὰ τοῦτο ὑπὸ τοῦ Ταράντου σὺν τοῖς ἄλλοις καταλεχθέντα. Nihil verius emendatione Leunclavii καταχθέντα ſcribentis, *ac deinde cum aliis a Taranta reductum.* Tarantas vel Tarantus eſt Antoninus Caracalla. De hoc autem Dio p. 872. D. refert, eum ad Senatum dixiſſe, πάντες οἱ φυγάδες, οἱ καὶ ἐφ᾽ ὁτῳοῦν ἐγκλήματι καὶ ὁπωσοῦν καταδεδικασμένοι κατελθέτωσαν, *omnes exules, cujuscunque criminis & quomodocunque damnati reſtituantur.* Addit Dio: τὰς μὲν οὖν νήσους οὕτω τῶν φυγάδων κενώσας, καὶ τοῖς κακίστοις τῶν καταδεδικασμένων ἄδειαν δεδωκὼς, εἶτ᾽ οὐ πολλῷ ὕστερον ἀνεπλήρωσε. *Quo pacto cum inſulas exulibus evacuaſſet, & ſceleratiſſimis quibusque damnatorum impunitatem conceſſiſſet, eas non ita multo poſt replevit.* En igitur Marcium quoque Agrippam cum aliis ex inſula κατελθόντα, *redeuntem,* & ab Antonino καταχθέντα, *reductum.* Sed quoniam Dionis locum laudavi, præterire ſilentio non poſſum, mihi illum mutilum videri. Nam cum inſulas exulibus, iisque ſceleratiſſimis, κακίστοις, evacuatas dixiſſet, poteratne ſimpliciter eas iterum repletas dicere? nonne ſceleratiſſimis etiam, quibus liberatæ ſunt inſulæ, viros optimos, quibus repletæ fuerint, opponeret? Mihi ſane admodum veriſimile eſt, Dionem forte ſcripſiſſe: εἶτ᾽ οὐ πολλῷ ὕστερον κρατίστοις ἀνεπλήρωσε. Venit enim in mentem recordari, quomodo Plinius Pan. c. 35. contraria Trajani tempora deſcribat, quibus revocati ex inſulis ſunt viri optimi, & delatores claſſibus impoſiti ventisque relicti. *Quantum diverſitas temporum poſſet, tum maxime cognitum eſt, quum iisdem, quibus antea cautibus innocentiſſimus quisque, tunc nocentiſſimus affigeretur; quumque inſulas omnes, quas modo ſenatorum, jam delatorum turba compleret.*

Ibid. fin. μεθ᾽ ὡρῶν, pro μήθ᾽ ὁρῶν, mendum eſt librarii; ſed ſtatim ſtudio ἀπαιδευσέιας, pro ἀπαιδευσίας. Contra pag. 23. fin. ὑπατίας pro ὑπατέιας.

P. 23 ſub fin. ὅτι ἐν τῷ μισθοφορικῷ ἐστρατεύετο. Melius Urſinus p. 424. ἐστράτευτο.

P. 24. οὐκ ἔχον δι᾽ ὀλίγου οὕτως αὐτοῦ καταγνῶναι. Urſinus: οὐκ ἔχον καιρὸν, δι᾽ ὀλίγου &c. quem & ego ſequor, non quod vocabulum καιρὸν abeſſe plane non poſſit, ſed quoniam Urſinum addentem non reprehendit Falco; ut tantiſper credere par ſit, in Codice vetuſto exſtare,

 atque

atque a Falcone, ut alia multa, per negligentiam tantum omiſſum eſſe. Sane non hac tantum de cauſa Codicem illum denuo cum editis conferri optem, ſed etiam quia Urſinum ſæpius inſimulat Falco *male vidiſſe*, ubi bene ſcripſit; vel potius, non monito lectore, emendationes ſuas velut Codicis lectiones venditaſſe. Neque ego id negem; attamen & Falconem male videre, aut interpretari certe fugientes & detritas literas potuiſſe, vix dubito.

P. 25. init. (Wech. 895. C. Exc. Urſ. 424. Exc. Peir. 761.) *καὶ τῶν διαμεμφομένων τὶ αὐτοῦ ἐπεστρέφετο, eos, qui aliquid in ipſo reprehenderent, averſatus eſt. ἀπεστρέφετο* ſcribendum eſſe, facile credo id monenti Urſino in notis, & Leunclavio, qui ſic edidit. Sic apud Herodianum p. 606, 36. edit. Sylb. *θεασάμενοι αὐτοὺς οἱ στρατιῶται ἐπεστραμμένους καὶ τὰ νῶτα δεδωκότας*, alii legunt *ἀπεστραμμένους*.

Ibid. poſt init. . . . *κινδύνῳ δι' ἑαυτὸν ἐγεγόνει, διεχρήσατο, illis, quibus ſui cauſa periculo fuerat, familiariter utebatur.* Sic Falco. Quanquam vero antecedentia quædam deſunt; tamen apparet, verbum *διεχρήσατο* hunc ſenſum non admittere. Vertendum: *qui ipſius cauſa in periculo fuerat, interfecit.* Significat forte aliquem ex conſciis cædis Caracallæ, de quibus Spartianus cap. 6

Ibid. ante med. *τὴν παράλογον τῆς μοναρχίας σφίσιν δυσχεραίνειν ὑποπτευόμενος*, ſine ſenſu. Pro *σφίσιν*, ex Xiphilino ſcribendum *κτῆσιν*. Paulo poſt: *τὰ γάρ που τοὐναντίον.* Melius Xiphilinus: *πᾶν γὰρ τοὐναντίον.*

Pag. 27. poſt med. (Wech. 895. D. Exc. Urſ. 425.) *καὶ στρατηγὸς δέ τις τὰ αὐτοῦ ποτε τοῦ Μακρίνου γράμματα, τὸν σύγκλητόν τε τὴν βουλὴν γενέσθαι, καὶ μηδένα τῶν ταμειῶν παρεῖναι, ἐπελέξατο. Quidam aliquando Prætor Macrini literas, quod ſenatus id temporis haberetur, nec quæſtorum quiſpiam adeſſet, legit.* Adduxi locum, propter Falconis, quam ſibi adhibuiſſe viſus eſt, emendationem. Ita enim ille: p. 125. b. *Urſinus legit τῷ σύγκλητον, Codex vero habet τῶν σύγκλητον, quod τὸν σύγκλητον emendavimus.* Equidem hic mirari ſatis non poſſum, cur veras & apertas Urſini lectiones, aut ſi mavis emendationes, non agnoſcat, contra prorſus rejiculas & neutiquam græcas ſubſtituat. Quodſi in Codice eſt *τῶν*, procul dubio ΤΩΙ cum Jota, non ſubſcripto, ſed adſcripto, expreſſum, ei errori anſam dedit; niſi etiam ΤΩΙ ſcriptum in Codice, Falconi ſuſpicionem præbuit, ultimam literam eſſe N, parte

ſui

ſui detrita mutilitatam. Contra fieri potuit, ut in ſuperiori OIKIAIC, p. 6. ultima litera evaneſcens ſuſpicionem præberet, Jota eſſe ſubſcribendum velut Dativo: nam ſimilis erat in hac voce litura primæ literæ O, ut IKIAI remanſerit.

P. 28. init. *τοῦ μὲν τοῦ Ταράυτου.* Poſterius *τοῦ* delendum cum Leunclavio p. 895. E. Ibid. ante med. *τὸ μὲν* (cum interjectis) *διὰ τὸ πολλῶν ἀνθρώπων μῖσος, τὸ δὲ δι᾽ αὐτοὺς ςρατιώτας.* Legendum cum Leunclavio *μῖτος*, & cum hoc juxta ac Urſino, *τὸ δὲ διὰ τοὺς ςρατιώτας.* Ibid. med. *ἄλλως τε καὶ ἐν τοῖς ςρατεύμασιν ἐντὸς.* Scribendum *ὄντος*, ut vidit ipſe Falco. Mox, *τούτου γὰρ πολέμου*, ſcribendum, *τοῦτε γὰρ πολέμου*, cum Urſino, qui, ſi male legit, ut ait Falco, bene tamen emendavit. Ibid. fin. *θρασύνασθαι*; melius Leunclavius, *θρασύνεσθαι.*

Ibid. ante med. *διά τε τὰ πραχθέντα αὐτῷ, propter ea, quæ fuerant geſta in eum:* male omnino. Nota orationis ſtructura apud Græcos, in primis Dionem, qua actiones alicujus exprimuntur per Paſſivum cum dandi caſu; ut *πραχθέντα αὐτῷ* idem ſit, quod *πραχθέντα ὑπ᾽ αὐτοῦ.* Res exemplis non indiget. Senſus: *propter facinora ejus.*

P. 29. poſt init. *τοὺς ἀργυροῦς (ἀνδριάντας) πάντας ἁπλῶς δι᾽ ἐκεῖνον συγχωνευθῆναι.* Senatus petiit a Macrino, *ſtatuas* tam aureas quam *argenteas, ſimpliciter omnes ac abſolute per ipſum conflari.* Immo *ejus* (Antonini) *cauſa;* tanto enim in ejus memoriam odio flagrabant, ut mallent nullam omnino, quam aliquam Antonini, ſtatuam ſupereſſe.

Ibid. ante med. (Wech. 896. C.) *τούς τε μεμηνυκότας τι αὐτῶν πολλῇ σπουδῇ, καὶ φανερωθῆναι καὶ κολασθῆναι δεόμενοι.* Rectius *αὐτῷ* cum Leunclavio ſcribitur, *qui ad illum* (Antoninum) *aliquid detuliſſent:* nam de rebus delatis nulla in antecedentibus mentio.

P. 30. init. *προσκαταλημφθέντες τῇ διὰ τὸν Ταράυτου θάνατον χαρᾷ, gaudio mortis Tarautæ occupati.* Scribendum ergo *προκαταληφθέντες.* Neque aliter Xiphilinus & Urſinus. Fallitur enim Falco, Urſinum *προσκαταληφθέντες* habere, tradens in notis p. 126. b.

Ibid. poſt init. *οὐχ οὕτως ὅτι τινὶ δουλεύσουσιν, ὡς ὃν ἐςέρηντο ἐνθυμούμενοι. Non tam ſecum expendentes, cuinam ſervituri eſſent, quam quo tyranno fuerant liberati.* Probo emendationem Sylburgii, pro *ὅτι τίνι*, vel, ut Romana editio pejus habet, *ὅτι τινὶ*, legendum ſuadentis *ὅτινι.*

Ibid.

Ibid. med. (Wech. 896. E.) *καί τι αὐτοὺς καὶ ἡ τῶν ἐπί τε τῶν ὑπ᾽ ἐκείνου καταδειχθέντων κατάλυσις. Movevat enim nonnihil eos earum rerum, quæ ſub ſuo inſtituta fuerant, abrogatio.* Leunclavius, verbum deeſſe exiſtimans, addit de ſuo *ἐκίνει*, hoc modo: *καί τι αὐτοὺς ἐκίνει καὶ ἡ τῶν* &c. Verum ejusmodi inſtitutum & per ſe nimis audax, & hoc loco minus neceſſarium duco. Nec enim deeſt verbum, modo ſequentia a *πάντα γὰρ* usque ad *ἀνετάγη* parentheſi includas; hinc enim pergit Dio eadem orationis ſtructura: *καὶ ἡ ἐς τὸ ἔπειτα* (cum interjectis) *ἐλπὶς ἀνέπεισε, στέρξαι τοῖς παροῦσιν.* Cohærent *καὶ ἡ κατάλυσις, καὶ ἡ ἐλπὶς, ἀνέπεισεν αὐτοὺς*, ut hactenus ſanus & integer locus videatur. Verum alia parte exulceratus & mutilus eſt, ſi quid judico. Nam quocunque me vertam, nihil invenio, quo ſpectent illa *ἐπί τε τῶν.* Vidit hoc quodammodo Leunclavius, atque ſic refingit: *καὶ ἡ τῶν ἐπί τε καὶ ὑπ᾽ ἐκείνου καταδειχθέντων κατάλυσις, quæ ſub Tarantæ imperio ejusque ſcelere patrata fuerant.* Quod ſi ſati faceret, venia forte viro doctiſſimo facilius concedi poſſet, quod ex ingenio, & bis uno in loco, mutare textum græcum ſuſceperit. Sed quid erat, cur Dio præter morem tam ſollicite diſtingueret, quæ *ἐπὶ ἐκείνου* & *ὑπ᾽ ἐκείνου* facta eſſent? Videntur potius poſt *ἐπί τε τῶν* excidiſſe *τὰ καταδειχθέντα ὑπ᾽ αὐτοῦ*, nec eſt cur ea anxie circumſpiciamus. Succurrit locus Dionis ex p. 19 jam ſupra commemoratus, ubi idem de Macrino: *τά τε περὶ τοὺς κλήρους, καὶ τὰ περὶ τὰς ἐλευθερίας καταδειχθέντα ὑπὸ τοῦ Καρακάλλου παύσας, abrogans quæ circa hereditates libertatesque a Caracalla conſtituta fuerant.* Primum hic obſervare libet, non diſtinguere Dionem, quæ *ἐπ᾽ αὐτοῦ* & *ὑπ᾽ αὐτοῦ*, *illo imperante*, & *ejus juſſu*, facta ſunt; ſed omnia *ὑπ᾽ αὐτοῦ*, ab eo facta dicere: deinde, definire Dionem, quæ conſtituta & abrogata fuerint, ſicut eſt hiſtorici. Vide ergo & hic omnia eadem. Commemoratur, *ἡ τῶν ὑπ᾽ ἐκείνου καδειχθέντων κατάλυσις.* Quid ergo magis pronum eſt, quam ut poſt *ἐπί τε τῶν* excidiſſe cogitemus ea, quæ olim conſtituta fuerant? Forte igitur ſcriptum fuerit: *καὶ ἡ τῶν, ἐπί τε τῶν κλήρων καὶ ἐπὶ τῶν ἐλευθεριῶν καὶ ἄλλων τοιούτων, ὑπ᾽ ἐκείνου καταδειχθέντων, κατάλυσις.* Sane pleræque omiſſiones librariorum natæ ſunt ex eo, quod, poſtquam oculos a codice ſuo ad ſcribendum averterunt, deinde redeuntes ad inſpiciendum codicem incidunt in vocem vel ex toto, vel terminatione ſimilem ei in qua ſubſtiterant, atque tum omiſſis interjectis ſcribere pergunt. Ergo & hic a *τῶν*

ad

ad τοιούτων, quod forte exſtabat in codice, facilis erat aberratio. Sed hæ, quanquam mihi quidem probabiles, conjecturæ tamen ſunt; quibus abſit, ut græca interpolemus. Ego enim ita mihi perſuaſi; ſi quid præter codicum auctoritatem in textu auctoris mutandum ſit, id ita comparatum eſſe debere, ut aliter ſe habere (quantum mens humana aſſequitur) non poſſit.

Ibid. med. alius locus eſt levi emendatione, eaque ut ego arbitror neceſſaria, ſanandus. πάντα γὰρ, ὅσα ποτὲ παρὰ τὸ καθεστηκὸς, οὐχ ὅτι ἐκ τοῦ δημοσίου τοῦ τῶν Ῥωμαίων, ἀλλὰ καὶ οἴκοθέν τισιν ἐξ ἐπιτροπῆς αὐτοῦ πρὸς τινων δήμων ἀνηλίσκετο, ἀνετάγη. Leunclavius: *quæ non tantum ex ærario Romano, ſed etiam propriis e facultatibus quorundam, ipſius juſſu, nonnullis a populis expendebantur.* Verum expenſæ, οἴκοθέν τισι factæ, de privatis, non vero, quod ſciam, de populis integris dicuntur. Neque eſſet ratio ulla, cur quæ a populis Romano ſubjectis imperio tribuebantur, οἴκοθεν, ſeu *propriis e facultatibus* tribui dicerentur. Unde enim ſumerent, ſi non de ſuo? Senſit forte hoc incommodi Cl. Falco, voluitque emendare hoc modo: *verum etiam juſſu ejus, a quibusdam populis, nonnullis domeſticis pendebantur.* Sed multo minus οἴκοθέν τισιν ἀνηλίσκετο ſignificare poteſt, quibus factæ ſint, ſed a quibus, expenſæ. Supereſt, ut agnoſcamus, diverſas eſſe contributiones, ærarii, privatorum, & populorum; unde neceſſario addito καὶ legendum: ἀλλὰ καὶ οἴκοθέν τισιν, καὶ ἐξ ἐπιτροπῆς αὐτοῦ πρὸς τινων δήμων. *Verum etiam a privatis nonnullis, & juſſu ejus a quibusdam populis, pendebantur* Recenſet onera illa, etiam privatis ab Antonino impoſita, Dio p. 874. C. ſq. & tandem p. 875. A. concludit, πᾶσα ἡ γῆ ἡ ὑπακούουσα αὐτῷ ἐπορθήθη. Et ſic alia occaſione diſtinguuntur privati, gentes, Romani. Infra pag. 75. (Wech. 907. C.) πολλῶν γὰρ πολλὰ καὶ ἰδιωτῶν, καὶ δήμων, τῶν τε Ῥωμαίων ἐς ἑαυτὸν ὑβρισάντων. Unde & hic dubitari nequit, diſtingui debere.

P. 33. fin. (Wech. 897. C.) ὥστε καὶ ἐκείνους, μηδ᾽ ἀρχὴν ἔτι εἶναι τόν τε Μακρῖνον καὶ τὸν Διαδουμενιανὸν, νομίζειν, ἀλλ᾽ ὡς καὶ τεθνηκότας αὐτοὺς ἤδη καταπατεῖν. Leunclavius: *ut illi quoque Macrinum & Diadumenianum plane non putarent amplius ſupereſſe, ſed velut jam rebus humanis exemtos proculcarent.* Falco autem: *non putarent amplius eſſe Principes.* Viſus nempe ſibi eſt, vocem ἀρχὴν melius & accuratius expreſſiſſe; ſed loco alieno, ſiquidem μὴ ὄντες hic explicantur τεθνηκότες.

κότες. Nempe *μὴ εἶναι ἔτι*, *non eſſe amplius*, idem ſignificat in pluribus linguis, ac *non vivere amplius*. vid. Commentatores ad Gen. V. 24. Matth. II. 18. coll. Jer. XXXI. 15. *ἀρχὴν* vero, & *τὴν ἀρχὴν*, inſtar particulæ uſurpatur, cujus verus uſus latuit fefellitque multos interpretes, ut vel ad *magiſtratus* notionem confugerent, vel *ſtatim*, aut *ab initio*, vel *primum*, interpretarentur. Significat autem non tantum, quod *ſtatim* & *ab initio*, ſed quod *plane* ſeu *omnino* fit, aut non fit. Sic de Tarquinio Priſco Dio, apud Valeſ. p. 570. *τὰ δὲ δυσχερέστερα ἤτοι τὴν ἀρχὴν οὐδὲ προσεποιεῖτο, ἢ καὶ φαυλίσας παρ' ἐλάχιστον ἦγε.* Valeſius: *aut ſtatim diſſimulabat*. Immo: *aut omnino diſſimulabat, aut extenuando leviter ferebat*. Ibid. p. 634. Servi Siciliæ, de dominis ſuis queſti apud Prætorem, *δείσαντες τοὺς δεσπότας, ὅτι καὶ τὴν ἀρχὴν ἐπικαλέσαι τι αὐτοῖς ἐτόλμησαν*; ubi Valeſius *ἀρχὴν* vertere neglexit. Vertendum autem: *Metuebant dominos, quod omnino eos accuſare auſi fuiſſent*. Item in edit. Wech. p. 40. C. Pompejus, haud ignarus, ea quæ potentibus a populo darentur, ſemper vi extorta videri, *οὐκ ἐπέτρεψεν ἀρχὴν οὐδενὶ οὐδὲν ἐσηγήσασθαι.* Interpres: *initio ſtatim nemini conceſſit*. Potius: *nemini prorſus conceſſit, ut ea de re referret*. Alia ſunt loca innumera, in quibus ſimiliter offendit interpres.

P. 34. med. (Wech. 897. D. Exc. Urſ. 428.) Macrinus nullos delatores prodidit, literas ejusmodi negans in Auguſtali repertas eſſe. *ὁ γάρ τοι Ταραύτας ἤτοι διέφερε τὰ πλείω τῶν ἔνδειξίν τινα ἐχόντων.* Sic omnes; ſed corrupta vox *διέφερε*, ſcribenda videtur *διέφθειρε*: *Tarantus enim diſcerpere pleraque ſolebat, indicium aliquod continentia*.

Ibid. fin. Macrinus tamen tres ſenatores edidit, *οὓς μάλιστα καὶ αὐτὸς, ἐξ ὧν ἐπεφωράκει, ἀξιομισεῖς ἐνόμιζεν εἶναι.* Leunclav. & Falco: *ex iis quæ ipſe deprehendiſſet*. Haud ſcio, annon melius: *quos & ipſe, præ ceteris quos deprehendiſſet, odio potiſſimum dignos arbitrabatur*.

P. 35. init. *ὑπεστρατηγήκει, ἐσεσυκοφαντήκει.* Præfero *ὑπεστρατήγει*, apud Urſ. Ibid. med. *σημεῖα τῶν δειγμάτων αὐτῶν.* Leg. *διηγμάτων*, ut recte habet Urſinus.

Ibid. *καί ποτε καὶ ἄρκτῳ καὶ παρδάλει, λεαίνῃ τε καὶ λέοντι, ἅμα μόνοις συνήχθη.* Lucius Priſcillianus *aliquando ſolus, cum urſo ſimul & pardali, itemque cum leæna ſimul & leone, congreſſus erat*. *Μόνοις* pro *μόνος*, præter mentem Falconis, in textum irrepſit, ſiquidem lectionem illam codicis ipſe rejicit p. 129. a. Hinc vero, cum *συνέχθη* habeat codex;

codex; συνηνέχθη Xiphilinus & Urſinus: *Nos*, inquit, *ſphalma evidens in codice Urſinoque, qui legit cum Xiphilino, emendamus in συνήχθη, ab συνάγομαι*, congreſſus eſt. *Xiphilini erratum majus eſt in συνηνέχθη, quod eſſet* evenit, contigit, *nullo ſenſu*. Itane vero ignoraverit Falco, quid ſit συμφέρεσθαι τινὶ? Vel unum liceat ex multis dare exemplum. Dio, pag. 28. A. καὶ πρoλέροις γε τούτοις καὶ παρὰ γνώμην ἠναγκάσθη συνενεχθῆναι. *Pompejus cum Iberis primum, idque adeo præter ſententiam, coactus eſt congredi.*

Ibid. fin. (Wech. 898. B. Exc. Urſ. 428.) καὶ ὑπὸ τῆς γερουσίας ἐμισήθη. ἰσχυρῶς ἐμισήθη habet Urſinus, quod non reprehendit Falco; ut exſtare in codice, & a Falcone per negligentiam tantum omiſſum videatur. Melius forte etiam ἀλλ᾽ ὑπὸ τῆς γερουσίας ſcriberetur. Præmittitur enim, quomodo a Caracallo honoratus ſit Priſcillianus; cui opponitur odium ſenatus.

Ibid. καὶ ἐς νῆσον κατεκλίσθη. Scrib. κατεκλείσθη. Sed quoniam Xiphilinus habet ὑπ᾽ αὐτοῦ δὲ (ſcil. Μακρίνου) ἐς νῆσόν τινα κατεκλείσθη, addendum forte fuerit, καὶ ὑπὸ τοῦ Μακρίνου ἐς νῆσον &c. Vix enim ſenatui tum temporis ea poteſtas tribui poterat.

P. 36. init. (Wech. 898. C. Exc. Urſ. 429.) στρατηγώντων. Scrib. στρατηγούντων. Ibid. fin. δυνησόμενος, recte. In codice autem δυνησομένοις ſcriptum eſſe dicit Falco p. 129. b. Verum in ſpecimine codicis, quod ex eo deſcriptum acceperat B. Fabricius, quodque huic epiſtolæ ſubjungam, ΔΥΝΗCΟΜΕΝΙΙC expreſſum invenio, quod δυνησομένης legere quis poſſit, quaſi relatum ad præcedens τιμῆς, quanquam id ipſum perperam. Nova autem hinc mihi ſuſpicio nata eſt, non fruſtraneam fore operam, ſi denuo ab homine perito codex cum editis conferatur.

P. 38. med. Præter alia, quæ hic reſtitui poſſunt ex Xiphilino pag. 886. A. in primis occurrit locus miſere corruptus: ὡς καὶ ἐκεῖνος χρηστά τινα αὐτῇ, τὰ λεχθέντα ὑπὸ αὐτῆς ὑπακήκοεν, ἐπέστειλε. Quis enim non videt, & inanibus quaſi deprehendit, verba, τὰ λεχθέντα ὑπὸ αὐτῆς ὑπακήκοεν, plane huc non pertinere, & ſenſum corrumpere? Fruſtra enim eſt Falco, ſic interpretatus: *Bona quædam verba, ab ea dicta, ſuboluit, eique ſcripſit.* Eadem vero verba deſiderata in ſequentibus denuo tenebras offundunt. Nam ſic pergit editio Rom. θαρσήσασα τὴν τοῦ θανάτου ἐπιθυμίαν κατέθετο. καί τοι μηδὲν, αὐτῷ ἀντιγράψασα,

ψασα, ἔπραττεν, καὶ ἐς τοὺς συνόντας τότε αὐτῇ στρατιώτας· ἀλλ᾽ ὥστε &c. *reſumtis animis, mortis depoſuit deſiderium. Et ſiquidem ea reſcripſiſſet Macrino, mali nihil vel ſibi afferebat, vel iis, qui tunc milites erant ſecum.* Quis hæc poſtrema intelligat? Si vero turbata in ordinem redigamus, præeunte Xiphilino, nihil ſupereſt difficultatis. ὡς ἐκεῖνος χρηστά τινα αὐτῇ ἐπέστειλε, θαρσήσασα, τὴν τοῦ θανάτου ἐπιθυμίαν κατέθετο. ἐπεὶ δὲ τὰ λεχθέντα ὑπὸ αὐτῆς ὁ Μακρῖνος ἐπύθετο, (pro quo Rom. ὑπακήκοεν) καί τοι μηδὲν αὐτῷ ἀντιγραψάσης (id rectius, quam ἀντιγράψασα in Rom.) ἐκείνης, καί τι καὶ εἰς τοὺς συνόντας αὐτῇ στρατιώτας πράσσουσαν ᾔσθετο. *Poſtquam ille* (Macrinus) *benignius ad eam* (Juliam Antonini matrem) *ſcripſit: reſumto animo mortis depoſuit deſiderium. Ubi vero Macrinus intellexit, quæ convicia ſibi ab ea facta eſſent* (*quanquam ipſa nihil reſcripſiſſet*), *ſenſitque eam cum militibus, quos circa ſe habebat, nonnihil moliri.*

P. 39. init. ἅτε καὶ τῶν αὐτῶν τρόπον τινὰ χωρίων &c. Melius Xiphil. ἅτε καὶ ἐκ τῶν αὐτῶν &c. Ibid. fin. καὶ τὰ ἐν τῇ Ῥώμῃ. Rectius Urſinus: καὶ ἐπεὶ τὰ ἐν τῇ Ῥώμῃ &c. quod dum invito codice ſcriptum eſſe, non adnotat Falco, tantiſper ibi reperiri, & in editione Rom. negligentius omiſſum credemus.

P. 40. init. (Wech. 899. B. Exc. Urſ. 430.) τότε ἐκ τῆς πληγῆς. Scribendum ex Xiphil. τότε ἠρέθισεν ἐκ τῆς πληγῆς. Senſus enim alias laborat. Ibid. καὶ τὰ τῶν στέρνων ἐπέπληκτο, probe emendavit Leunclavius: κατὰ τῶν στέρνων ἐπέπληκτο. Statim συναιρουμένη, ſcrib. συναιρομένη. Male autem hoc verbum vertitur, *perdita ac everſa*. Potius Julia dicitur a cancri morbo ad voluntariam necem *adjuta*. Xiphilinus etiam συνεβάλετο. Ibid. med. τὸν πρεσβύτερον ζῶντά τε ἀεὶ διὰ τέλους φθόνου ἔχουσα. Vox τέλους, undecunque nata, ſtare non poteſt, & a Leunclavio non male omittitur.

P. 41. poſt init. (Wech. 899. D. Exc. Urſ. 430.) ἔμελλεν δὲ οὐδὲ Μακρῖνος. Scrib. cum Urſ. ἔμελλε δ᾽ οὐδ᾽ ὁ Μακρῖνος. Ibid. ἐπὶ πολὺ περιοίσειν. Scrib. περιέσεσθαι, ex emendatione Urſini, qui περι*εναι edidit ex codice, cum Falco contendat ibi legi περιοίσειν, quod tamen admitti non poteſt. Ibid. poſt med. ἠ?αισίων. Scrib. ἠφαιστείων.

Ibid. ſub fin. τὰ ἐν τῷ τοῦ κύκλου ἐδάφη πάντα καταυθῆναι. Ultimum eſt mendum typographi pro κατακαυθῆναι. Sed prima, τὰ ἐντὸς τοῦ κύκλου melius edidit Urſinus; quanquam forte præferri debeat, quod

quod nunc in mentem venit, *τὰ ἐν τῷ τοῦ κύκλου ἐδάφει πάντα καταπαυθῆναι*, *ut quicquid eſſet in ſolo interioris theatri omne exuſtum ſit.*

Ibid. *οὐδὲ ἐπήρκεσεν αὐτῷ οὔτε ἀνθρωπίνη ἐπικουρία* (cum interjectis) *ἠδυνήθη*. Sic omnes; & corruptus tamen manifeſte eſt locus, quod, quia verbum *ἠδυνήθη* remotius erat, forte non obſervarunt editores. Scribendum ergo erit *ἐπαρκεῖν*, niſi malis ad ſequentia verbum aliud omiſſum ſupponere. v. g. *οὐθ' ἡ τοῦ οὐρανίου ἐπιῤῥοια, πλείστη τε καὶ σφοδροτάτη γενομένη*, (*σβέσαι αὐτὸ*) *ἠδυνήθη*. Sed prius, ut ſimplicius, malim.

P. 42. init. (Wech. 900. A. Exc. Urſ. 431.) *τὸ ὕδωρ ἑκάτερον ὑπὸ τῆς τῶν σκηπτρῶν δυνάμεως ἀνηλίσκετο*. Manifeſtus error librarii imperiti, *σκηπτρῶν*, pro *σκηπτῶν*, ſcribentis, non erat in editione relinquendus. Sic & in ſequentibus, *καὶ ἐν μέρει καὶ αὐτὸ τοῦτο προσεγένετο*, verbum *προσεγένετο* ſtare non poteſt, ſed ſcrib. cum Urſ. *περιεγένετο*. Ibid. ante med. *ὥσπερ που καὶ αὐτὸ ἐξαίσιον ἀεί ποτε νενόμισται*. Scrib. *ὅπερ*, præeunte Urſino.

Ibid. med. *ἐκεῖνο δὲ δὴ ἄντικρυς ἐς αὐτὸν φέρειν, ὅτι καὶ τὴν ἱπποδρομίαν τοῦ Ἡφαίστου καταλελυκέναι ἔδοξεν*. Pro *φέρειν*, Leunclavius edidit *ἔφερεν*, quem ſequor ſane; quoniam in hac orationis ſtructura *φέρειν* cum *ἔδοξεν*, quippe ad *καταλελυκέναι* pertinens, jungi nequit. Fateor tamen, ſi meo indulgere ingenio liceret, malle me ſcribi: *ἐς αὐτὸν φέρειν, ὅτι καὶ τὴν ἱπποδρομίαν τοῦ Ἡφαίστου καταλελύκει, ἔδοξεν*. Sequens *ἐτοπάσθη*, Dioni minus convenit; præſtabit *ὑπετοπάσθη*.

Pag. 43. poſt init. *ἐπράχθη δὲ ἑκάτερον*, *& factum utrumque eſt.* Videtur deeſſe *ὧδε*, niſi illud in ſequenti *ὁ δὲ* quærendum. *Utraque res ſic accidit.* Sane utrumque illud, quod modo commemoraverat Dio, belli compoſitionem & ſeditionem militum, nunc fuſius & ordine narrare incipit. Atque hæc eſt ſolennis formula Dionis, cum explicatius rem incipit exponere.

P. 44. poſt init. *καὶ αὖθις τὸ τάφρευμα ἀπέβαλεν*, *denuo vallum recuperavit*; quaſi legiſſet *ἀπέλαβεν*. Sed etiam in notis p. 134. a. *ἀπέβαλεν* ſcribitur, adeoque *amiſiſſe* potius dicendus erat Macrinus. Ibid. ante med. *συνόμενοι*, *conglogati.* Scrib. *συννούμενοι*, a *συννέω*. Ibid. med. *ἐπεκδραμοῦντας*. Scrib. *ἐπεκδραμόντας*. Ibid. *ἀντὶ τάξεως*. Melius *ἀντιτάξεως*.

Sed nondum mihi ad medium libelli progreſſo jam in molem excreſcere Epiſtola incipit, etiamſi multa, quæ præſertim in verſione latina notari poterant, ſciens præterierim. Quare ne Tibi hic, Cardinalis Eminentiſſime, nimia diligentia moleſtus ſim, ex iis quæ ſequentur, pace Tua, decerpam tantum potiora quædam, in quibus mihi vel Falco in primis, vel ceteri quoque Viri Præſtantiſſimi, qui adhuc in Dione limando elaborarunt, aliquid negotii reliquerant.

Pag. 48. init. (Wech. 901. A. Exc. Urſ. 433.) καὶ σφᾶς, ἥ τε τῆς μισθοφορᾶς συντομὴ, καὶ ἡ τῶν γερᾶν, τῶν τε ἀτελειῶν τῶν ἐν τοῖς στρατιωτικοῖς ὑπηρετήμασιν, ἃ παρὰ τοῦ Ταράυτου εὕρηντο, στέρησις· καίπερ μηδὲν αὐτοὺς μέλλοντας ἀπολαύσειν ἐπιπαρώξυνεν. *Validiusque eos exacerbavit ſtipendii deminutio, & eorum integra privatio præmiorum & immunitatum ab oneribus militaribus, quæ utraque ab Tarauta fuerant conſecuti, ſed quibus tamen ſe fruituros (Macrino Principe) deſperabant.* Ex notis Falconis p. 137. a. apparet; εὕρηντο præter mentem ejus excuſum eſſe. εὕρητο. *Ita*, inquit, *recte Codex, non ut Urſinus, qui falſo legit* εὕρηντο, *immemor, neutra pluralia verborum regere ſingularia.* Nonne vero bonus Falco ipſe hic videbitur immemor fuiſſe, εὕρηντο non eſſe paſſivæ ſignificationis, ut ἃ εὕρητο, ſingularis numeri verbo, dici debeat; ſed activæ, ut intelligantur milites, ἃ οἱ στρατιῶται εὕρηντο, quo ſenſu ſingulare εὕρητο plane ineptum eſt. Sed ut hic nobis veram lectionem reliquit felix typographi erratum, ita mendum inſigne ſupereſt, ab Urſino quoque & Leunclavio non animadverſum, quod tamen nexum narrationis & veritatem hiſtoriæ pervertit. Nam ſi ſana eſſent hæc, καίπερ μηδὲν αὐτοὺς μέλλοντας ἀπολαύσειν, reddi deberent cum Leunclavio: *licet horum fructum non amplius erant percepturi.* Quis autem hic nexus eſt: magis exacerbati ſunt milites, *licet* fructum præmiorum non amplius erant percepturi? Sed & hoc ipſum eſt contra veritatem hiſtoriæ: nam ſtatuerat Macrinus militibus, qui tum in armis erant, omnia & ſtipendia & præmia relinquere, & tantum novitiis deinceps militaturis prædicere, illos priſcis ſtipendiis, a Severo conſtitutis, conſcribi. Sic paulo poſt Macrini conſilium deſcribitur: ἔδοξε μὲν γὰρ στρατηγικῶς πως, καὶ νουνεχόντως ὁ Μακρῖνος πεποιηκέναι, τῶν

μὲν

μὲν ἐν τοῖς ὅπλοις ὄντων μηδὲν παρελόμενος, ἀλλὰ ἀκέραια αὐτοῖς πάντα τὰ πρὸς ἐκείνου νομιϑέντα τηρήσας. Hinc Macrinus, infra p. 59. med. (Wech. 904. B.) literis ad ſenatum datis queritur, quod milites οἱ ἄλλοι οἱ μηδενὸς ἐϛερημένοι, etiam ceteri, quibus nihil detractum fuiſſet, communes cum novitiis commilitonibus iras concepiſſent. Ergo ſatis manifeſtum eſt, μηδὲν οὐκ ἀπολαύσειν legi debere, & hæc parentheſi circumſcribenda, ut nexui ſimul & hiſtoriæ conſulatur: καὶ σφᾶς ἡ (cum interjectis) ϛέρησις (καίπερ μηδὲν αὐτοὺς μέλλοντας σφῶν οὐκ ἀπολαύσειν) ἐπιπαρώξυνεν. Acceſſit ad exacerbandos animos ſtipendii deminutio, & quod illis, quæ ſibi a Taranto conceſſa fuerant privarentur: (*quanquam ipſi quidem his pariter omnibus frui amplius debebant*) Obiter noto, Leunclavium illud πρὸς ἐκείνου perperam mutaſſe in πρὸ ἐκείνου, quaſi *ante ſe, ante ſuum Principatum.* Sed ἐκεῖνος eſt Caracalla, ſive Tarantus: & πρὸς ἐκείνου idem hic eſt, quod in priore loco dicitur παρὰ τοῦ Ταράντου.

P. 49. ſub fin. (Wech. 901. D. Exc. Urſ. 434.) τὸ δὲ καὶ τῷ ἐκεῖνοι μὲν τοὺς ϛρατιώτας τε τινὰς ἀπέκτειναν, καὶ τῆς Μεσοποταμίας τινὰ ἐλυμήναντο· οὗτοι δὲ καὶ ἀλλήλων συχνοὺς κατέκοψαν, καὶ τὸν αὐτοκράτορα σφῶν κατέλυσαν. Locus admodum ſalebroſus, de quo fatetur Falco p. 137. b. quædam vocabula in codice eſſe admodum ambiguæ lectionis. Nec ſatis ſuccurrit hic Urſinus: τὸ δὲ καὶ τῷ ἐκείνῳ μὲν καὶ ϛρατιώτας τινὰς &c. Aliquanto melius Leunclavius: τὸ δὲ καὶ ὅτι ἐκεῖνοι μὲν καὶ ϛρατιώτας τινὰς ἀπέκτειναν &c. quæ probo ſane, quantum ſine codicis luce conjectando aſſequi licet; ſed tamen nondum ſanata ſunt omnia, quoniam poſt ſuperius participium τὸ μὲν ὑποπτεύσαντες, nunc ad τὸ δὲ pariter ſequi debebat aliud v. g. δεδιότες, quod ſubſtitui poteſt pro verbis οὗτοι δὲ, quippe inutilibus. Verum in hujusmodi locis micamus in tenebris.

P. 50. ſub fin. (Wech. 902. A. Exc. Urſ. 435.) ἐκ τῆς μὲν Σοαιμίδος. & ſic pag. ſeq. ἐκ τῆς δὲ Μαμαίας. Codex in priore loco, ἐκ μὲν τῆς Σοαιμίδος, *quod emendavi*, inquit Falco, *ut ordo aliquanto durior & præpoſterus tolleretur.* Et ſic poſterius, ubi codicis columna reſecta erat, ex ſuo ingenio ſcripſit ἐκ τῆς δὲ, ubi procul dubio codex habuit ἐκ δὲ τῆς. Equidem vereor, ne aliis ordo Falconis potius durus & præpoſterus videatur; mihi certe tam obeſæ aures ſunt, ut lectione codicis non offendantur, ſed bene græca ſibi videantur audire; qua in re

 puto

Digitized by Google

puto me peritiores facile habiturum conſentientes, ut exemplis adducendis poſſim ſuperſedere.

P. 52. init. (Wech. 888. A.) *καὶ τὸν Λοῦπον τὸν τῆς Μαίσης ἔγγονον, αὐτοκράτορα, καίπερ παιδίον ἔτι ὄντα, ἀντικαταστῆσαι*, & *Lupum Mæſæ nepotem, etſi adhuc puerum, pro eo conſtituere Imperatorem.* Ita & in Xiphilini editionibus: nec quiſquam Commentatorum in ſuſpicionem ullam locum adduxit, cum tamen novum nobis Imperatorem *Lupum* procudat. Nepos hic Mæſæ filiusque Soæmidis, paulo ante p. 50. fin. imo poſtea ſæpius, *Avitus* dicitur; apud Spartianum etiam *Varius*, ſcilicet a Vario Marcello, patre, & marito Soæmidis. Apud Herodianum *Baſſianus* vocatur, credo ab avo, vel quod ſe Baſſiani ſeu Antonini Imperatoris filium diceret; unde & *Antonini* nomen aſſumſit. Ipſe Dio libri ſequentis initio, alia ejus nomina, vel agnomina potius in opprobrium data, complectitur, *Pſeudantonini, Aſſyrii, Sardanapali, Tiberini*, quibus *Elagabali* adjunxeris. Sed Lupum quis unquam Imperatorem prodidit hiſtoricorum? Equidem non videor mihi errare, ſi librariorum hoc eſſe inventum dixero, quos literarum ſimilitudo fefellit. Pone ΑΟΥΙΤΟΝ, id eſt Ἀουῖτον, ſcriptum eſſe; ſane pro Α, facile Λ, legi potuit, evaneſcente ductu tranſverſo; & ΙΤ, arctius conjunctæ, præſertim linea transverſa literæ Τ longius ad Ι præcedens producta, ſpeciem literæ Π mentiri. En ergo Lupum in ſabula! quem ego explodendum puto, & Ἀούειτον reſcribendum.

P. 53. init. (Exc. Urſ. 446.) *ὡς καὶ πολεμιωτάτῳ τείχει, tanquam mœnibus firmiſſimis.* Potius: *tanquam ad caſtellum infenſiſſimi hoſtis.* Sermo eſt in hoc fragmento de Juliano, præfecto copiarum, quem Macrinus præmiſerat ad opprimendam ſeditionem: is acceſſit ad caſtra militum, *ὡς πολεμιωτάτῳ τείχει.* Ibid. med. *τὰς πύλας πάσας ἐπῳκοδόμησαν, nocte portas omnes ædificaſſe*; immo: *obſtruxiſſe.*

P. 54. poſt init. (Wech. 902. D. Exc. Urſ. 447.) *κἀκ τούτου διαμέλλοντας, ὁ Εὐτυχιανὸς τὸν Φῆστον, τὸν κατὰ τοῦ Ταράντου πρόκοιτον, ἀντωνομάσθη, ἔπεισαν ἀποσφάξαι πάντας ἐκείνους.* Nihil ſani. Urſinus: *Φῆστον κατὰ τὸν* &c. *ἔπεισεν.* Leunclavius: *Φῆστον τὸν τοῦ Ταράντου πρόκοιτον πέμψας ἔπεισεν. Eutychianus Feſtum Tarantæ cubicularium miſit, eisque ſuaſit, ut illos omnes jugularent.* Verſionem Leunclavii ſequitur, probatque Falco, illud *ἀντωνομάσθη evidens* eſſe *erratum* pronuncians. Equidem non jam dicam, audaculum & durum nimis eſſe,

ſi pro

ſi pro ἀντωνομάθη longius abhorrentem vocem πέμψας velimus reſcribere; ſed illud potius evidens erratum eſſe contendo, quod hac verbi πέμψας ſubſtitutione Feſtus ab Eutychiano miſſus inducitur, qui Feſtus, libertus & cubicularius Antonini, Herodiano teſte p. 548, 34. jam ab ipſo Antonino Caracalla veneno interfectus erat. Unde nolim illud ἀντωνομάθη tam præcipiti ſententia in exilium mitti; quin potius videtur Eutychianus hicce *in locum Feſti, qui a cubiculo Taranti fuerat, cooptatus.* Ita enim ſolet Dio homines nobis deſcribere, v.g. cap. XXXV. p. 58. ὁ Βασιλιανὸς, ὃν καὶ ἐς τὴν τοῦ Ἰουλιανοῦ χώραν ἔπαρχον ὁ Μακρῖνος ἐπεποιήκει. Sic de Flacco ſupra p. 35. obſervatur, quod Manilio in Præfectura annonæ ſucceſſerit, & pag 36. de Anicio Feſto, quod Aſpri loco in provinciam miſſus ſit a Macrino. Igitur, quantum hariolando aſſequi licet, forte ſcripſerat Dio: ὁ Ἐυτυχιανὸς, ὃς ἀντὶ τοῦ Φήστου, τοῦ κατὰ τὸν Τάραντον προκοίτου, ἀντωνομάθη.

Ibid. init. locum mutilum Falco in notis p. 143. b. ita explendum inter cetera duxit: ἄλλως τε καὶ προθύμως πρὸς τὸ νεωτεροποιεῖν κατέχοντας; quod minus græcum videtur, cum dicendum eſſet προθύμως ἔχοντας.

P. 55. fin. & ſeq. (Exc. Urſ. 435.) αὐτὸς δὲ ἀπολεμήσας περαιτέρω χωρὶς, τοῦ Μακρίνου προχωρῆσαι μετεπέμψατο αὐτὸν, καὶ ὃς ἐς τε τὴν Ἀπαμέιαν ἐς τοὺς Ἀλβανίους στρατιώτας διὰ τειχέων ἦλθε, καὶ υἱὸν αὐτοκράτορα καίπερ τὸ δέκατον ἔτος ἄγοντα ἀπέδειξεν. Ex his morbidis, & per ſe non unam medelam flagitantibus, Falco nobis admirabilem nectit verſionem & hiſtoriam. *Ipſe vero hoſtiliter ulterius & ſeorſim progreſſus, Gannym contra Macrinum miſit, qui ubi Apameam inter Albanios milites per ipſa mœnia inductus eſt, Imperatorem filium, etſi decimum annum ageret, renunciavit.* Ergo ἀπολεμήσας περαιτέρω χωρὶς, (ibi enim græca interpungit) Falconi eſt, *hoſtiliter ulterius & ſeorſim progreſſus:* tum, τοῦ Μακρίνου προχωρῆσαι μετεπέμψατο αὐτὸν, ſignificat, *(Gannym) contra Macrinum miſit.* &c. Quæ quidem ego profecto in his græcis non inveniſſem. Sed ipſe Falco videtur p. 144. fateri, verſionem ſibi, corruptis græcis, redditam eſſe aliquantulum intricatam; idemque exiſtimat, Leunclavium (p. 902. E.) difficultate victum hæc omiſiſſe; unde tacitus nec græca ediderit, nec mutierit de iiſdem. Incipit ſane Leunclavius demum ab his verbis: καὶ ὁ Μακρῖνος ἐς τὴν Ἀπάμειαν &c. & habent omnino omiſſa, ſed habent & edita caſtigatione

Digitized by Google

tione opus. Videamus autem, num intricata extricari, aut difficultas, quæ ineſt, levari quodammodo poſſit. Primum, pro voce nihili *ἀπολεμήσαις*, Urſinus nobis exhibet *ἀποτολμήσας*. Sermo autem in hoc fragmento eſt de duce quodam aut præfecto Macrini, neſcio an Tricciano, p.77. qui collectis quibusdam militibus, ut potuit, cum ſeditioſis conflixit, & fuſo licet hoſte, tamen ſine Macrino, *auſus?* immo *non auſus* eſt ultra progredi, ſed Macrinum prius arceſſivit: id enim eſſe *μετεπέμψατο*, notum vel iis eſt, qui nondum ære lavantur. Igitur nec cum Urſino *ἀποτολμήσας*, ſed *οὐ* vel *οὔπω τολμ.* legendum. Unde autem Gannyn hic advocaverit Falco, divinare non poſſum. Oſtendetur infra, *Gannyn*, vel potius *Gynnin*, eſſe ipſum Avitum, alterum Sardanapalum. Quare nec Gannys vel pro Macrino pugnaſſe, vel, ſecundum Falconem, contra Macrinum miſſus eſſe, dici poterit. Jam quid Macrinus arceſſitus? Apameam *διὰ τειχέων ἦλθε*, *per ipſa mœnia venit.* Sic & Leunclavius. Mirum ſane facinus: quidni per portam urbis; cum illa pateret procul dubio Albaniis in urbe militibus cum Macrino facientibus, & forte necdum de ſeditione edoctis? aut num mœnia prius Macrino dirui debebant, ut intraret? quis hæc cogitet? Quid autem, ſi reſtituo mœnia hæc diruta, vel una literula? Dico ſcriptum fuiſſe *διὰ ταχέων.* Macrinus arceſſitus *celeriter* venit Apameam ad Albanios milites. Res hic pro verbis loquitur, ut nihil addam. Ergo pauciſſimis mutatis plana jam credo fuerint omnia. *αὐτὸς δὲ οὐ τολμήσας περαιτέρω, χωρὶς τοῦ Μακρίνου, προχωρῆσαι, μετεπέμψατο αὐτόν. καὶ ὃς ἔς τε τὴν Ἀπάμειαν ἐς τοὺς Ἀλβανίους στρατιώτας διαταχέων ἦλθε, καὶ τὸν υἱὸν αὐτοκράτορα, καίπερ τὸ δέκατον ἔτος ἄγοντα, ἀπέδειξεν.* *Ipſe vero absque Macrino ulterius progredi non auſus, illum arceſſivit: qui ubi Apameam ad milites Albanios confeſtim venit, filium Imperatorem, etſi decimum modo annum agentem, renunciavit.* Ceterum quando Falco *καὶ τὸν υἱὸν αὐτοκράτορα - ἀπέδειξεν*, quod erat in codice, *auſu neceſſario* dicit *ſe emendare,* omiſſo *τὸν*, viſus mihi eſt præter rationem id feciſſe, egoque auſu magis neceſſario id reſtituendum putavi, quoniam *τὸν υἱὸν* idem hic eſt, ac *τὸν υἱὸν αὐτοῦ.*

P. 57. poſt med. (Wech. 903. C. Exc. Urſ. 436.) *κἀκ τούτου συχνοὶ μὲν καὶ τῶν γραμματοφόρων ἀμφοτέρωθεν ἐφθάρησαν, οὐδεὶς δὲ καὶ τῶν θανατωσάντων τοὺς Ἀντωνινείους, ἢ καὶ μὴ ἂν, τινὰ ἑαυτοῖς προσθεμένων, αἰτίαν ἔσχεν.* *Atque idcirco complures quidem e tabellariis utrinque fuere*

contru-

contrucidati: at nemo vero ex his qui Antoninianos confecerant, aut contra; pro his qui ſibi tribuebantur, in judicium aliquando vocatus eſt. Equidem me poſtrema hæc non intelligere fateor, nec ex græcis poſſe ulla vi extorquere. Attamen & græca vulnerata ſunt. Non dico illud ἐφθάρσησαν, quod & bis in notis Falconis exſtat pro ἐφθάρησαν, ſed vocem οὐδεὶς, quam & Leunclavius exhibet; cum Urſinus habeat οὐδένα, & ἔχον, non melius ſane. Nam quis ſibi perſuadeat, neminem eorum, qui Antoninianos occidiſſent, poſtea ne quidem in jus vocatum eſſe, cum Antoninus rerum potitus eſt, qui non minus crudeliter quam libidinoſe imperavit, plurimosque partium Macrini vindicta perſecutus eſt? vide quæ narrat Dio pag.75. ſq. Quid multa? hoc ipſo loco plane contrarium dicitur, verbis ſequentibus: καὶ οἱ μὲν καὶ ἀπώλοντο διὰ τοῦτο, οἱ δ' ἄλλοι τὶ ὦφλον. Scilicet gratias habemus Falconi, quod in codice non οὐδεὶς, ſed ὀυχνοὶ exſtare teſtetur: id eſt profecto, niſi me fugit ratio, συχνοὶ, atque cum eo conſentit illud plurale ἔχον apud Urſinum. Ergo nihil jam nos moratur: συχνοὶ μὲν - ἀμφοτέρωθεν ἐφθάρησαν, συχνοὶ δὲ καὶ αἰτίαν ἔχον. *Multi etiam ex his, qui Antoninianos confeciſſent, aut qui aliquem eorum ſibi non adjunxiſſent, in judicium poſtea vocati ſunt: quorum illi quidem ſupplicio, hi alia pœna ſunt affecti.* Legendum enim videtur, οἱ δ' ἄλλο τι ὦφλον. Certe ἄλλοι τι frigidum ſenſum gignit.

P. 58. fin. (Wech. 903. E. Exc. Urſ. 437.) Φοβηθεὶς, μὴ καὶ ἐν χερσὶν ἀπώληται. Non aſſecutus eſt Leunclavius, aut qui eum ſequitur Falco, vim hujus locutionis: *Veritus Baſilianus, ne inter ſuorum manus occideretur.* ἐν χερσὶν ἀπολέσθαι dicuntur, qui *ſtatim, e veſtigio*, aut *in ipſo conflictu* & diſcrimine pugnæ, non in fuga, pereunt. vide Dionem p. 27. C. 29. C. 182. E. 214. C. &c.

P. 59. med. κοινὴν ἐπὶ τοῖς ὀυ δεδομένοις σφίσιν ὀργὴν οἱ ἄλλοι οἱ μηδενὸς ἐστερημένοι ποιοῦνται. *concipere novas iras*, Falco: negligentius; aut certe mutatione prorſus intempeſtiva, καινὴν, pro κοινὴν, volens ſubſtitui. Macrini hæc eſt querela, de qua jam ſupra diximus, quod illi etiam milites, quibus nihil de ſtipendio deminutum fuerit, *communes iras*, propter eadem commilitonibus novitiis non data, concepiſſent.

Pag. 63. fin. (Wech. 905. A. Exc. Urſ. 438.) ἐν δ' οὖν τῇ μάχῃ ὁ μὲν Γάννυς, καὶ τὰ στενὰ τὰ πρὸ τῆς κώμης σπουδῇ προκατέλαβεν. Codex & Urſinus habent Γαίννυς. Sed legendum procul dubio Γύννις,

quod

quod *effeminatum* notat, & convicium eſt, cum in alios, tum in primis Elagabalum jactatum. Debemus hanc obſervationem, ſine qua hic locus & pars hiſtoriæ Dionis in tenebris foret, B. Fabricio, cujus verba ad p. 306. C. non pigebit transſcribere. Γύννις. *De hoc vocabulo vide, ſi placet, Pollucem VI. 30. ſect. 123. Euſtathium ad Iliad. γ. p. 287. & Odyſſ. λ. p. 429. Philoſtratum in Æliani vita p. 624. ubi* (tyranni) *Gynnidis, hoc eſt effeminati Heliogabali, accuſationem ab eo compoſitam ſcribit. Heliogabalum enim innui docet Dio infra p. 905. ubi bis male* γάννυς *pro* γύννις. &c. Gynnin Æliani eſſe Elagabalum, probe odoratus erat Doctiſſ. Perizonius in præf. ad Ælian. p. 11. De uſu vocis generatim, præter Fabricium, plura ad Heſychium ſuum T. I. pag. 867. ſuppeditat exquiſitæ eruditionis & humanitatis Vir, Joannes Alberti, qui ut alterum quoque volumen Heſychii cum aliis, quæ forte meditatur, abſolvat, boni publici cauſa optamus. Hic quidem in narratione Dionis, quæ ſtatim ſubjungitur, Γάννυς vel potius Γύννις deſcribitur, tanquam ἐν τρυφῇ βεβιωκὼς, & παιδίον: erat enim Elagabalus, Herodiano teſte, vix quatuordecim annos natus, eique exercitus τὸ ϛράτευμα αὐτοῦ, pro ipſo pugnans, tribuitur: ſic ut præter Pſeudantoninum hunc nemo alius queat intelligi. Unde & efficitur, non proprium ejus, ſed convicii nomen eſſe: idem ſcilicet, quo Ælianus, ejusdem ætatis ſcriptor, & forte alii, hunc tyrannum, poſt ejus obitum, notarunt. Nam & Lampridius c. 17. *Appellatus eſt poſt mortem Tiberinus, & Tractitius & impurus, & multa, ſi quando ea erant deſignanda, quæ ſub eo facta videbantur.* Ubi non deſunt, qui pro *multa*, legendum cenſeant *mulier*, quod eſt *Gynnis.*

P. 65. ſq. occurrit locus ſimilis, quanquam, ſine priori ſi eſſet, magis dubius: ἡ γὰρ εὔνοια σφῶν παρὰ πολὺ ἐς αὐτὸν (Μακρῖνον) πρός τε τὸ τῶν Σύρων τόλμημα, καὶ πρὸς τὴν τοῦ Ψευδαντωνίνου ἡλικίαν, τό τε τοῦ Γύννιδος (Γάννυ, Rom.) καὶ τοῦ Κωμάζοντος ἀνεπίτακτον (αὐτεπίτακτον, Rom.) σκεπούντων, ἐπῄει, (ἐποίει, Rom.) ὥστε καὶ τοὺς ϛρατιώτας θνήσκοντας μετανοῆσαι, ἢ καὶ ἄκοντας καταδαμασθῆναι. Quæ ſic reddidit Falco, ut ne corruptis quidem Græcis, nedum hiſtoriæ veritati latina reſpondeant: *Ipſorum namque ſtudia multo longe pro ipſo faciebant, contra Syrorum auſus & Pſeudantonini ætatem, atque Gannys & Comazontis ſcopum, quem cernebant ad abſolutam tendere jubendi omnia poteſtatem, ita ut etiam milites pœnituerit actorum dum morerentur, & conflixerint*

ſixerint quoque inviti. Πρὸς hic non vertendum erat *contra*, & *καταδαμασθῆναι confligere:* nec σκοπούντων (quod cum πρὸς conjungendum, reſpicit ad σφῶν) ſignificat Gannys & Comazontis *ſcopum*. Equidem ex Græcis emendatis hanc ſententiam conficio: *Romanorum enim ſtudia longe magis in ipſum* (Macrinum) *ferebantur; quippe qui Syrorum auſus, & Pſeudantonini ætatem, atque Gynnidis illius itemque Comazontis inconditos mores, reſpicerent. Nam & milites moribundos pœnituit actorum, vel certe inviti venerunt in ejus poteſtatem.* Comazon ille, ſeu *ſaltator*, vel *hiſtrio*, quem Dio commemorat, procul dubio eſt Eutychianus, in ludicris, in ſaltatione & Gymnaſii exercitiis unice verſatus, ut ſupra traditur p. 51. Unde diſertis verbis Dio p. 76. de Eutychiano ait: ὁ Κωμάζων· καὶ τοῦτο γὰρ τοὔνομα ἔκ τε μίμων καὶ γελωτοποιίας ἔσχε. Atque nunc demum ex Dione ſcimus, quem innuat nomine ὀρχηστοῦ, Herodianus p. 571, 33. dicens, Elagabalum τοῖς μὲν στρατοπέδοις ἔπαρχον ἐπιστῆσαι ὀρχηστήν τινα γεγονότα, καὶ δημοσίᾳ ἐν τῷ Ῥωμαίων θεάτρῳ ὀρχησάμενον ὅτε ἦν νέος. Nam, & Dione tradente p. 76. Eutychianus τῶν δορυφόρων ἦρξε. Idemque proinde eſt Eutychianus, quem nomine *ſaltatoris* ſignat Lampridius cap. 12. *ad præfecturam prætorii ſaltatorem, qui hiſtrionicam Romæ fecerat, adſcivit.* Inde fit, ut mihi perſuadeam, id ipſum *Comazontis* nomen probroſum, in Faſtis conſularibus, pro vero *Eutychiani* nomine, ſolum paſſim exſtare, ideo tantum, quod verum nomen, poſt Elagabali mortem, eraſum ſit præ odio: nam & *nomen* ipſius *Antonini eraſum eſt, ſenatu jubente, remanſitque Varii Heliogabali,* teſte eodem Lampridio c. 17. Jam, ut ad locum noſtrum revertar, Saltator hic, quod Pſeudantoninum ad Imperatoris dignitatem provexiſſet, proximus ab ipſo Imperatore futurus videbatur Romanis, ideoque cum *Gynnide*, hoc eſt, *effeminato* Pſeudantonino conjungitur. Neque obſtat, quod Pſeudantonini nomen jam præceſſerat: nam hic idem, perinde ut magiſter ejus tum, quum τὸ ἀνεπίτακτον, *inconditi mores,* ſpectarentur, jam non vero, aut adſcito, ſed probroſo, & vitium præcipuum indicante, nomine erat notandus. Quare & dubius adhuc hæreo, num in verſione latina hæc Gynnidis & Comazontis nomina retinere par ſit; an reddere præſtet: *atque Effeminati* (aut, *Mulieris*) *illius, itemque Saltatoris inconditos mores reſpicerent?*

E 2 P. 76.

Digitized by Google

P. 76. (Wech. 908. A. 910. C.) Quoniam ſemel ad Comazontem, hoc eſt Eutychianum venimus, placet ſuperioribus addere locum, qui, ex Xiphilini quidem & Zonaræ compendiis hiſtoriæ Dionis, feſellit perſpicaciſſimos adeo hiſtoricos, ut Eutychianum ter fuiſſe conſulem ſcriberent: *τῶν τε δορυφόρων ἦρξεν, ἐν μηδεμιᾷ τὸ παράπαν ἐπιτροπείᾳ, ἢ καὶ προστασίᾳ τινὶ, πλὴν τῆς τοῦ στρατοπέδου ἐξετασθεὶς, [καὶ τὰς τιμὰς τὰς ὑπατικὰς ἔλαβεν,] καὶ μετὰ τοῦτο καὶ ὑπάτευσε, [καὶ ἐπολιάρχησεν] οὐχ ἅπαξ μόνον, ἀλλὰ καὶ δεύτερον, καὶ τρίτον, ὃ μηδενὶ πώποτε ἄλλῳ ὑπῆρξεν· ὅθεν που καὶ τοῦτ' ἐν τοῖς παρανομωτάτοις ἐξαριθμήσεται.* Ea quæ hic uncis circumſcripta leguntur, apud Xiphilinum & Zonaram non invenias; ſed ibi *ὑπάτευσεν οὐχ ἅπαξ μόνον, ἀλλὰ καὶ δεύτερον καὶ τρίτον,* connectuntur: *conſul fuit, non ſemel tantum, ſed & iterum atque tertium.* Ita qui contrahendi ſtudio reſecarunt nonnulla, ſæpe etiam pro veris falſa nobis reliquerunt. Nam *ἅπαξ* illud, *δεύτερον* & *τρίτον* apud Dionem, cum conſulatui & præfecturæ urbis ſubjungatur, ad utrumque autem, vel ad remotius tantum ſpectare nequeat, ad poſterius tantum & propius neceſſario pertinet: v. p. 98. ſq. quod vel inde etiam apparet, quia id nunquam alias factum fuiſſe, & prorſus abiiſſe a conſuetudine, Dio docet; quod ſane de Conſulatu, quippe non modo tertium, ſed & quintum & ſextum aliquando in unum collato, dici nequaquam poterat. Unde fit, ut & in faſtis conſularibus ſemel tantum Eutychianus reperiatur, ejusque conſulatui nulla in plerisque adjiciatur numeri nota: *Antoninus III. & Comazon.* Xiphilini igitur & Zonaræ ſubleſta fide in errorem inducti videntur, quotquot Comazontem II. Conſulem ſcripſere: in quo miror, etiam Falconem, cum Dionis locum ipſe integriorem edidiſſet, ceterorum, qui Xiphilino & Zonaræ unice nitebantur, auctoritates ſecutum, p. 165. b. ubi de Eutychiano ait: *qui tertium cum Avito proceſſit Conſul.* Atque hinc concidunt quoque plurima, quæ Doctiſſ. Pagius in Critica Annalium Baronii pro ea re diſputat: cum non tantum Comazontem utique cum nota numerali, ſicut ab Onuphrio factum eſt, edi debere contendit; ſed etiam ex hoc altero Comazontis, perinde ut ex Macrini & Adventi ſecundo Conſulatu, efficere conatur, legem Macrini de Conſulibus honorariis, (de qua ſupra ad p. 17. diximus,) ne ab ipſo quidem Macrino, nedum poſtea, obſervatam eſſe. Dionis hiſtoria plenior contrarium utrobique docet; quod jam de Macrino & Advento ſupra obſervatum eſt, & hic

de

de Comazonte ſatis liquet. Certe ſi primus Comazontis Conſulatus fuiſſet honorarius, ſi deinde verus Conſulatus ejus velut ſecundus eſſet numerandus: ubi tandem tertium ejus Conſulatum, quem Xiphilinus & Zonaras tradiderunt, reperiemus? Quodſi ceteroquin vel ante Severum vel poſt Macrinum nonnullos iterum Conſules ſcribi reperiamus, qui tamen non niſi ſemel in Faſtis inveniantur, id ea de cauſa fieri mihi perſuadeo, quod olim ſuffecti Conſules fuiſſent, qui annum nomine ſuo non ſignabant. Verum in his facile meliora edoceri cupio.

P. 80. Supereſt locus unus, a ſuperioribus minime ſejungendus, qui & in fragmentis Peireſcianis p. 761. exſtat, ſed capite truncatus, ſeu carens ſub initium nomine ejus, de quo ſermo eſt. Incipit in Exc. Peir. ὅτι αὐτὸν ἐκεῖνον, τὸν τὴν ἐπανάστασιν &c. in Romana autem editione, poſt varias cædes a Pſeudantonino patratas, ſic legitur: - - - - ν δὲ δὴ τὸν τὴν ἐπανάστασιν κατασκευάσαντα, τὸν ἐς τὸ στρατόπεδον αὐτὸν ἐσαγαγόντα, τὸν τοὺς στρατιώτας προσαποστήσαντα, τὸν τὴν νίκην αὐτῷ τὴν κατὰ τοῦ Μακρίνου παρασχόντα, τὸν τροφέα, τὸν προστάτην, ἐν ἀρχῇ εὐθὺς τῆς ἡγεμονίας ἐν τῇ Νικομηδείᾳ ἀποκτείνας, ἀνοσιώτατος ἀνδρῶν ἐνομίσθη. Præcedens ſane fragmentum breviſſimum in Exc. Peir. eſt de Comazonte: ὁ Κωμάζων τὸ ὄνομα ἐκ μίμων καὶ γελωτοποιΐας ἔχεν, quod & Valeſius in notis p. 111. de Eutychiano loqui, recte docet. Neque negaverim, ſequens hoc prima ſpecie in Comazontem præclare convenire: *Quod autem illum totius defectionis auctorem, a quo in caſtra fuerat inductus, qui milites ad ipſius partes traduxerat, qui victoriam ei paraverat de Macrino, illum educatorem ſuum ac tutorem, in ipſo ſtatim principatus exordio Nicomediæ necavit; in eo omnium habitus eſt mortalium improbiſſimus.* Nam eadem de Eutychiano, præterea autem de alio nemine, retulerat Dio: pag. 51. ſeq. eum variis rebus commotum id conſilii cepiſſe, ut Macrinum imperio dejiceret, & Avitum, licet puerum, pro eo conſtitueret Imperatorem; & utrumque perfeciſſe commento, quaſi is eſſet adulterinus Antonini: noctu enim Avitum ab Eutychiano in caſtra eſſe inductum, matre adeo & avia inſciis, & milites ab eodem perſuaſos, ut res novas molirentur, & (p. 54.) ut præfectos, qui cum Juliano erant, interficerent. En igitur Eutychianum *totius defectionis auctorem, qui Avitum puerum in caſtra induxit, militesque ad ejus partes traduxit:* & quis dubitet, eundem prælio interfuiſſe, & ad victoriam non parum contuliſſe? Cogitari hinc

hinc poſſet, nomen omiſſum ex dictis ſupplendum eſſe: Ἐυτυχιανὸν δὲ δὴ, τὸν &c. Verum in maxima hac veriſimilitudine, obſtat nobis temporum ratio. Recte negat etiam Falco, Eutychianum intelligi poſſe, quia hic educator & tutor Aviti ſtatim ſub initium principatus ejus occiſus eſt: quanquam in eo fallitur vir doctus, quod Eutychianum cum Avito tertium fuiſſe Conſulem perhibet; quod Valeſium ſcribit in notis cenſere, Dioni hic de Eutychiano ſermonem eſſe, quod nusquam prodidit; quod denique ipſe ejus loco Gannyn ſuum, etiam in latina interpretatione, induxit: qua de re mox dicam. Sane Pſeudantoninus, ſeu Avitus, VIII. Idus Julias A. U. 970 quo Macrinus & Adventus Conſules fuere, victor de Macrino, teſte Dione pag. 64. edit. Rom. Exc. Urſ. 439. paulo poſt, urgente inprimis Mæſa, ut Romam ocyus contenderet, e Syria profectus eſt; ſed eo anno Nicomediæ adhuc hiemavit, ſicut auctor nobis eſt Herodianus pag. 566. ſeq. ſequenti autem A.U. 971. Romam profectus eſt, qui annus ipſum & Licinium Sacerdotem Coss. habuit: ac tum demum anno tertio U. C. 972. cum Elagabalo Eutychianus Cos. factus eſt. Quæ ſi vera ſunt, ſicut omnino videtur, Eutychianus is eſſe non potuit, qui Nicomediæ in primo ſtatim initio principatus Elagabali interfectus eſt. Et ceteroquin minus probabile eſt, Dionem de Eutychiano hic tam honorifice ſcribere, quem ſupra loco non uno velut ſaltatorem & hiſtrionem, ludicris tantum rebus intentum, & inconditis moribus, traduxerat. Sed ex his tamen ſequetur, hunc alium, quisquis ſit, qui cæſus eſt Nicomediæ, eadem omnia in Elagabalum merita habuiſſe cum Eutychiano communia; qua de re, cum in ea narratione Dionis, quæ converſionem hanc imperii perſequitur, ne verbulum quidem exſtet, ſed uni Eutychiano omnia tribuantur, graviſſime Dio contra hiſtoriæ leges peccaſſe cenſendus eſſet. Et fateor, memet mihi in hac dubitatione non ſatisfacere, gratiſſimumque fore, ſi quis mihi Oedipus contigerit. Hoc puto me ſcire, Falconis conjecturam, de Ganny quodam hic intelligendo, a vero aberrare; tantum abeſt, ut id *indubium*, ſicut ait, jure queat exiſtimari. Neque habet Falco argumentum aliud præter ultimum ν, quod ipſi jam ſtatim Gannyn olet. Enimvero is, quem Gannyn perperam pro Gynnide codex Vaticanus p. 63. ſq. vocabat, ibi deſcribitur ut παιδίον; is autem, de quo hic agitur, fuit Elagabali τροφεὺς καὶ προστάτης, *educator & tutor*. Sed & Gannys ille habebat, ut jam monuimus, exercitum ſuum

& pro

& pro ſe pugnantem, fuitque adeo imperator ſeu tyrannus, ille ipſe, cujus accuſationem ſub *Gynnidis* nomine ſcripſiſſe Ælianum teſtatur Philoſtratus. Ergo id ſatis videtur conſtare, Gannyn quendam ab Elagabalo & Comazonte diſtinctum in hac hiſtoria fingendum haud eſſe. Neque ejusmodi hominis meminit quisquam hiſtoricorum; nec ſi quis fuiſſe poneretur, in eum quæ hoc loco traduntur convenient.

Liceat paucula adhuc loca, quæ mihi laborare mendo, & emendanda videntur, adjicere. Deinde redibo ad Falconem noſtrum: & quoniam me ſemel rerum inter ſe cohærentium ordo, ab ordine paginarum deduxit, ea quæ porro ad Falconem ſpectabunt, in claſſes nonnullas redacta recenſebo.

Pag. 64. ante med. & p. 81. init. Σοαιμὶς & Σοαιμίδι ſcribo, pro Σοαιμία. Nam quanquam varia admodum reperitur nominis ſcriptura, quam congeſſit Cl. Arnzenius ad Sexti Aurelii Victoris Epitomen de Cæſaribus cap. 23. nec Σοαιμία vel Soæmias omnino inſolens eſt; tamen Σοαιμὶς, apud plerosque & optimos Scriptores græcos, atque Dionis adeo veſtigia ſecutos, Xiphilinum, Zonaram, Herodianum, quin & in nummis apud Triſtanum T. II. pag. 366. mulier appellatur. Certe conſtare ſibi Dio debet, qui ſupra in hac ipſa editione Rom. p. 50 habet Σοαιμίδα, Σοαιμίδος. Eadem mihi ratio ſcribendi obſervata eſt in reliquis etiam nominibus hominum, locorum aut populorum, ut, quantum memoria ſubſidio erat, una & eadem ubivis eorundem nominum ſcribendi ratio appareret, cum varietas illa tantum a librariis potuerit, non ab auctore, proficiſci.

P. 65. fin. καὶ ὅπερ ἐπεφεύγει. Falco: *ſiquidem ipſe* (Macrinus) *inſtitiſſet fugæ.* Forte melius, ἐξεπεφεύγει, ſi Macrinus, (qui jam usque ad Eribolum, navale e regione Nicomediæ, fuga pervenerat, habens in animo Romam contendere,) *evaſiſſet fuga.* Tolerari quidem quodammodo ſimplex verbum, ſed ægre quidem hoc loco poteſt.

P. 72. ante med. τοῦ Αὐγούστου, ᾧ καὶ τὴν ἡλικίαν τὴν ἑαυτοῦ ἀφομοίου. Sic omnes, Urſinus pag. 442. Wechel. p. 907. A. & noviſſime Romana Falconis; quaſi eſſet caſus patrius nominis adjectivi ἀφόμοιος. Sed illud eo magis hic vitandum erat, quoniam ἀφόμοιος plane contrariam & repugnantem huic loco ſignificationem habet, *abſimile* indicans; cum tamen dicere Dio velit, Elagabalum ſuam ætatem ætati Auguſti *aſſimulaſſe.* Ergo a verbo ἀφομοιόω ſcribendum erit cum augmento ἀφωμοίου.

P. 82.

P. 82. poſt med. *ὥστε καὶ ἑτοιμότατον ἐν τοῖς βουλομένοις ἄρξαι, τῷ καὶ παρ' ἐλπίδα καὶ παρὰ τὴν ἀξίαν πολλοὺς τῆς ἡγεμονίας ἐπιβεβατευκέναι, καὶ νεωτερίσαι τολμῆσαι.* In Rom. & Codice eſt *βουλομένοις*, ſed Urſinus p. 446. & Wech. p. 909. D. *βουλευομένοις* edidere, quod & probat Falco in notis, exprimitque in verſione: *ita ut facillimum cuiquam ſenatorum fuiſſet aſſumere principatum.* Et hactenus recte, quod *ſenatores* hic inducit. Sed in reliquis exprimendis rem, non verba ſpectavit; ſiquidem verba hæc potius aliam ſuppeditarent ſententiam, eam nempe, quam Leunclavius fide majori, verum minus ad rem exhibet: *quo factum, ut inter ſenatores loco eſſe principe facillimum fuerit.* Res, inquam, poſtulat ſententiam, quam Falco ſuppeditat. Nam Dio ex iis, qui tum affectabant imperium, nominaverat Verum & Maximum, homines ignobiles, ideo quod ſenatores eſſent: *τούτους δὲ δὴ μόνους ὠνόμασα, οὐχ ὅτι καὶ μόνοι ἐξεφρόνησαν, ἀλλ' ὅτι τῆς βουλῆς ἦσαν.* Ne autem quis hoc miraretur, aut in dubium vocaret, propter eorum obſcuritatem: addiderat, a filio etiam centurionis cujusdam, itemque alio lanificium exercente, tum & a plebejo quodam, legiones & claſſem ſollicitatas fuiſſe. Ergo, inquit, proclive tunc fuit ſenatoribus imperium affectare, cum tot alii ſpe & dignitate deſtituti illud invadere auderent. Apparet hinc, non id velle Dionem, quaſi facile fuerit *ἐν τοῖς βουλευομένοις ἄρξαι*, *inter ſenatores loco eſſe principe*; ſed quod ſenatoribus facile fuerit totius populi Romani principatum attentare. Igitur illud *ἐν*, prorſus turbat ſententiam, & rei potius accommodandum erit; quod fiet levi mutatione, in *ἦν*. Deinde cohærere non poſſunt, *ἐπιβεβατευκέναι καὶ νεωτερίσαι τολμῆσαι.* Quomodo enim perfecti temporis verbum *ἐπιβεβατευκέναι* cum *τολμῆσαι* conjungi poſſit? quod perinde eſſet, ac ſi latine dicerem, *auſus eſt invaſiſſe.* Rurſus etiam in *ἄρξαι* finiri ſententia non poteſt: quia Dio non dicit facile ad principatum perveniri potuiſſe, ſed proclive fuiſſe id tentare. Unde quæ interjecta ſunt verba, parentheſi, quæ valde familiaris Dioni eſt, includenda fuerint, hoc modo: *ὥστε καὶ ἑτοιμότατον ἦν τοῖς βουλευομένοις, ἄρξαι, (τῷ καὶ παρ' ἐλπίδα καὶ παρὰ τὴν ἀξίαν πολλοὺς τῆς ἡγεμονίας ἐπιβεβατευκέναι) καὶ νεωτερίσαι τολμῆσαι. Quo magis ſenatoribus proclive fuit, cum multi adeo ſpe & dignitate omni deſtituti imperium invaderent, ut & ipſi affectare principatum, & res novas moliri auderent.*

At

At enim, ne longus ſim, redeo ad Falconem noſtrum; ut quid ille potiſſimum mihi non otii, ſed negotii faceſſiverit, nunc per claſſes oſtendam, paucis exemplis ex poſteriore libelli parte dimidia depromtis. Ac primum dicam *de interpretatione* ejus *latina*, quam ſane ex ipſius præfatione p. XXVI. pretii quantivis fore ſperaveram. Ita enim ille: *Blanci, Xylandrique & Leunclavii verſionibus ad trutinam revocatis, cum eos perſæpe vidiſſem Dionis mentem non aſſequi, & non raro parum latine loqui, aut ferrea uti ſynthesi, & quæ neque Dionis ſtructuram aut ſtylum oleat, neque exprimat, quæ laus eſt boni interpretis, emendandas illas ſuſcepi; & ſynthesi ad auream Dioniam efformata, ita Dionem latinis auribus intuli, ut novam ejus verſionem in hisce videar adornaſſe.* Verum, ne mentiar, ego mihi, in hac nova verſione, emendationis parum, aut nihil potius; corruptionis & ſordium quam plurimum inveniſſe viſus ſum: ſic ut longe mihi expeditius res proceſſura fuiſſet, ſi de integro latinam Dionis hiſtoriam de Græco expreſſam condere cœpiſſem.

Primum enim incidi in multos ſatis manifeſtos ſuperiorum interpretum nævos ab eo repetitos. Exempla e multis hæc ſunto. P. 71. πεντακοσίας τοῖς ἀμφ' αὐτὸν στρατιώταις δραχμὰς, ὅπως μὴ διαρπάσωσιν αὐτὴν · προσυποσχόμενος (ſcrib. προϋποσχόμενος cum Leunclav.) Avitus Antiochiam ingreſſus eſt, *quingentas* militibus ſuis drachmas, ne illam diriperent, pollicitus. Sic Leunclavius, p. 906. A. & poſt eum Falco. Sed procul dubio *quingenas* ſcribi debebat: cum idem ſit, ac ſi diceretur ἀνὰ πεντακοσίας. P. 78. poſt init. Sejus Carus occiſus; πρόφασιν, ὡς καὶ συνιστάς τινας τῶν ἐν τῷ Ἀλβανῷ στρατευομένων, καὶ μόνου τε ἐκείνου ἀποδεικνύντος τινὰ ἤκουσεν ἐν τῷ παλατίῳ, ἐν ᾧ καὶ ἐσφάγη. Falco: eo obtento prætextu, quaſi quosdam milites, qui in Albania ſtipendia faciebant, ſibi conciliaſſet; nam & Pſeudantoninum tantummodo in Palatio *quædam objicientem audivit.* Leunclavius: *quædam probantem audivit.* Sane neuter videtur aſſecutus verbi ἀκούειν poteſtatem & uſum in judiciis. ἀκούειν eſt *accuſari*, ſicut εἰπεῖν & λέγειν *ſe defendere.* Quod quoniam minus tritum vulgo eſt, age producam locum Dionis p. 305. B. ubi Fufius Calenus Ciceroni objicit, quod Lentulus ἄνευ λόγου καὶ κρίσεως indicta cauſa conjectus ab eo ſit in carcerem: & deinde, C. quod vir tantus, ἀνοσίως, μήτε τι εἰπὼν, μήτ' ἀκούσας ἔς τε

τὸ οἴκημα ἐμπέσῃ, καὶ ἐκεῖ ὥσπερ οἱ κακουργότατοι φθαρῇ, ubi interpres frigide: *nullo neque dicto neque audito, (quod eſſet contra patriam.)* Reddendum: *indicta cauſa, & ſine aliqua accuſatione.* Ipſi deinde Ciceroni exprobrat: αὐτὸς ἑαυτοῦ κατεψηφίσω, ὥστε καὶ πρὶν κριθῆναι φυγεῖν, *ipſemet tuo te judicio condemnaſti, ſic ut ante quam de te cognoſceretur, profugeris.* Pergit: καὶ οὐχ ὑπέμεινας οὔτ' ἀκοῦσαι τι αὐτῶν οὔτ' εἰπεῖν τι αὐτοῖς. Ubi rurſus interpres: *neque vel audire aliquid ex iis, vel aliquid ipſis dicere ſuſtinuiſti.* Senſus eſt: *nec vel accuſationis eorum vel defenſionis tuæ eventum ſubire ſuſtinuiſti.* Ergo & hic Carus non audiit forte Avitum privatim quædam objicientem, ſed *ex ſola ejus* (velut actoris ſimul & judicis) *probatione in Palatio reus factus eſt.* P. 81. init. ille educator & tutor Aviti: τῇ Μαίσῃ τῇ τε Σοαιμίδι σφόδρα ἤρεσκε· τῇ μὲν, ὅτι ἐτέθραπτο ὑπ' αὐτῆς· τῇ δὲ ὅτι συνῴκει τρόπον τινα αὐτῇ. Id Valeſius p. 763. credo aliud agens, reddiderat: *Mæſæque ipſi ac Soæmiæ erat acceptiſſimus: huic, quod alumnus eſſet ipſius; illi quod viri ac mariti loco.* Noſter etiam expreſſius: *Soæmiæ quidem quod eſſet alumnus ejus; Mæſæ vero, quod mariti quodammodo erat loco.* Atqui Soæmis vel Soæmia erat filia; Mæſa vero mater. Ergo filiæ alumnus fuerit, matris vero, cujus propemodum nepos eſſet, maritus? Quis hunc ſibi inverſum amoris ordinem, mente concipiat cogitans: præſertim, cum ille ipſe paulo ante, educator & tutor filii Soæmidis, Aviti, dicatur? Atqui τῇ μὲν per ſe ad remotiorem Mæſam, eamque matrem refertur, cujus alumnus fuit: τῇ δὲ ad propiorem Soæmidem filiam, cui fuit mariti loco, ejusque adeo filio Avito inſtar patris.

Sed videamus etiam exempla quædam, pauca ſane ex magno numero, ubi Noſter, quæ alii bene, præpoſtero emendandi ſtudio male convertit. Pag. 68. poſt med. (Wech. 889. E.) Dio fata Macrini hac concludit ſententia: οὕτω καὶ οἱ πάνυ εὖ πράττοντες ἐξ ἴσου τοῖς λοιποῖς αἰωροῦνται. Interpres: eos *qui ornati ampliſſimis fortunæ muneribus* ſunt pariter cum ceteris ſuſpenſos & incertos eſſe; recte profecto. Noſter autem: *qui facile cuncta peragunt;* quaſi vero πάνυ eſſet πάντα, aut tritiſſima phraſis, εὖ πράττειν, *felicem eſſe,* ad verbum converti deberet. P. 77. med. (Wech. 908. B.) poſt Tricciani laudes dicitur: διόπερ οὐ τηνάλλως προπεμφθεὶς, ἐν Βιθυνίᾳ τὴν δίαιταν ἐποιεῖτο. Leunclavius: unde *non fruſtra præmiſſus* in Bithynia degebat. Falco: *poſtea*

a Ma-

a Macrino præmiſſus. Sed poterat a Leunclavio diſcere vim particulæ τηνάλλως, in qua, cum non adeo frequens ſit, plures etiam interpretes hærent: nam *fruſtra*, vel *temere* aut *ſine cauſa* ſignificat; ut apud Dionem p. 59. E. ἐποίουν δὲ οὐδὲν, ἀλλὰ διατριβαὶ καὶ ἀναβολαὶ τηνάλλως ἐγίνοντο. item pag. 673. C. τοὺς τηνάλλως συκοφαντήσαντας. Ibid. paulo poſt. αὐτὸν εἰρχθέντα τῆς Ῥώμης ἀπεκατέστησεν (potius ἀποκατέστησεν.) Leunclav. *Roma excluſum in integrum reſtituiſſe.* Falco melius ſibi reddere viſus eſt: *Romæ carceri mancipatum libertati reſtituiſſe;* in quo vehementer eum erraſſe, non attinet demonſtrare. Ibid. ſub fin. μεταπεμφθεὶς ὑπ' αὐτοῦ ἐκ τῆς Ῥώμης. Leuncl. *Roma juſſu ejus arceſſitus.* Falco: *evocatus ab ipſo Romam.* Hoccine eſt emendare, cum ter in una eademque pagina, pro veris & bonis aperti errores ſubſtituuntur?

Venio nunc ad Græca: ubi vellem, ad ea recte edenda plus Græcitatis attuliſſet; vellem, Dionis ſtilum ſibi ante reddidiſſet magis familiarem; vellem codici ſuo non ſubſcripſiſſet ſuperſtitioſius; vellem in ejus lectione exhibenda plus judicii adhibuiſſet, & magis ſibi conſtaret; vellem, Xiphilinum non tam temere & frequenter deſeruiſſet, aut doctas & probas emendationes virorum eruditorum ſpreviſſet; vellem, non tam multa, ſine ratione & neceſſitate, ex ſuo ingenio, præter indolem linguæ græcæ, & præter nexum ac ſcopum Dionis mutaſſet. Nam omnia hæc conjuncta efficiunt ſane, ut quæ jam habebamus ante Falconem græca Dionis, multo corruptiora apud eum legantur: quæ vero nondum habebamus, vix confidenter ſatis ab ejus manu accepta uſurpemus.

Vellem, inquam, plus Græcitatis ad editionem Dionis attuliſſet Falco: quam ſi habuiſſet in promptu, ſane Leunclavianam lectionem, (Wech. p. 905. A.) p. 64. poſt init. ἀγνοοῦσιν, primum non inſpexiſſet negligentius pro ἀγνοῦσι, nec deinde derivaſſet ab ἀγινώσκω. p. 151. a. Ibid. non damnaſſet Urſini lectionem, καὶ εἴ γε μὴ ἦτε Μαῖσα, & ex ſuo ingenio ſcripſiſſet, καὶ ἦτε μὴν ἦτε Μαῖσα, cum codicem tamen μὴ habere fateatur. P. 74. init. pro τῇ χειρὶ τῇ τῶν στρατιωτῶν, quod eſt in Exc. Peir. p. 761. non ſubſtituiſſet *ſuo Marte*, ut ait p. 161. a. ſed invita, credo, Minerva, ταῖς χερσὶ τῶν στρατιωτῶν, forte quia pluribus

ribus militibus plures neceſſario manus tribui debebant. P. 75. med. (Wech. 910. C.) pro ἐπεξελθεῖν, non finxiſſet verbum ἐπεξήσειν, ab ἐπέξειμι, p. 161. b. P. 87. ante med. (Wech. 912. B.) pro ἵνα ταῦτα παραδεξάμω, non attuliſſet temere formulam ſuæ Græcitatis, ἵνα δὴ παρορῶ ταῦτα. quod παρόραμα, ne typographi vitio, pro παρῶ, ſcriptum credas, ter repetit in notis p. 169. & non illud παραδεξάμω Xiphilini, ſed hocce παρορῶ Dionium ſibi viſum eſſe dicit. Pag. 89. ſub fin. (Wech. 913. A.) pro πρασίῳ ςολῆ non exiſtimaſſet reponendum πρασίᾳ, *quod genere*, ait, *concordare*, *non* πρασίῳ, *ni typorum hoc ſit erratum*, p. 172. a. quaſi neſcius, nomen derivatum πράσιος eſſe commune. Ibid. paulo poſt, in epanorthoſi hac, οἴκοι· εἶγε εἶκον ἔνι Φάναι τοῦτ᾽ εἶναι, quam integram exhibent Exc. Peir. p. 765. med. non omiſiſſet & damnaſſet, velut *nullius ſenſus*, verba ἔνι Φάναι, p. 172. b. cum ἔνι pro ἔνεςι dici, in ipſis Græcæ linguæ elementis diſcamus.

Vellem deinde, Græcorum, & in primis Dionis ſtilum, ſibi magis familiarem reddidiſſet Noſter. Nam ejus ignoratione verba codicis ſui, pag. 68. med. καὶ αὐτῷ καὶ ὁ ὑὸς προσαπώλετο, in notis p. 156. b. ſollicitat, *credique poſſe erratum*, putat, αὐτῷ pro αὐτὸς *poſito*. Ex eadem, formulam parentheticam proverbio præmiſſam, p. 85. fin. τὸ λεγόμενον δὴ τοῦτο, in notis p. 168. b. Dionis negat eſſe, eumque dixiſſe exiſtimat ὥσπερ λέγεται. Ex eadem, pag. 86. fin. (Wech. 912. A.) rejicit formulam, ἵνα δὲ παρῶ, velut oratoriam. v. pag. 169. a. Credo, ſi Dio ſcripſiſſet cum Falcone, ἵνα δὴ παρορῶ ταῦτα, tum ſuum in Dione ſtilum pro Dionio agnoviſſet. Ex eadem, p. 94. ſub fin. (Wech. p. 914. E.) ἔχε δὲ οὕτως, commutat cum ὃ καὶ οὕτως ἔχε. Ex eadem denique multa Xiphilini, multas etiam doctorum virorum neceſſarias probasque emendationes, & Dionis ſtilo plane conſentaneas, minus græcis poſtponit; ut ſtatim videbimus.

Vellem poſtea, Falco codicem ſuum non ſuperſtitioſe interdum ſecutus eſſet, quem tamen alias, vel præeunte Urſino aut Leunclavio, vel ſuo indulgens ingenio, deſerit. Nam quis ferat p. 52. med. & in notis τῇ ἐσθῆτη, pro ἐσθῆτι. Ibid. fin. & in not. ἀμορφὴν, pro ἀφορμήν. p. 55. fin. ἀπολεμήτας, pro quo Urſinus ἀποτολμήτας. p. 60. med. & in not. ἀδελφοφόνῳ, pro ἀδελφοκτόνῳ, quod eſt apud Xiphil.

Digitized by Google

p. 62. init. & in not. σολῃνοειδεῖς, pro σωληνοειδεῖς. pag. 65. init. καταδεχθῇ, pro *exceptus eſt*, ut ipſe interpretatur, cum Xiph. habeat καταδεχθῇ, quod tamen rejicit in notis p. 152. a. & ejus generis alia quæ eſt infinitum omnia recenſere. Neque eſt, quod quis exiſtimet, ſemel ſtatutum habuiſſe Falconem, manus nequaquam afferre codici ſuo, ſed eum, qualis erat, intactum dare. Nam frequenter deſerit eundem, non dico jam Urſini & Leunclavii exemplo, ſed ſuo Marte, ſuo ingenio, præter rationem; ut ſupra jam compluſculis documentis vidimus, & ut ex omnibus fere paginis oſtendi poteſt.

Vellem etiam, majori judicio tractaſſet codicem ſuum. Certe, niſi p. 56. med. Urſino plus tribuiſſet, quam codici, non edidiſſet εἰλεώσασθαι pro ἱλεώσασθαι. niſi p. 57. ſub fin. Leunclavium & Urſinum ſecutus eſſet, non ſcripſiſſet οὐδεὶς, cum codex habeat OΥΧΝΟΙ, quod facile videre poterat eſſe CΥΧΝΟΙ, ut ſupra oſtendimus niſi pag. 71. ſub fin. imperitum librarium, οὕπερ ἐπεθύμουν mutantem in ὅπερ, præeuntem habuiſſet, non damnaſſet illam lectionem ὅπερ in textu & notis p. 158. b. niſi p. 73. fin. ab Excerptis Peireſcianis fucum ſibi fieri paſſus eſſet, Pollionem non retuliſſet ἐς τοὺς ὑπάτους, cum codex tantum habeat ὑπ - - - - & Valeſius jam monuiſſet, Pollionem inter Conſules non reperiri, & forte legendum ὑπάρχους, qualis Pollio fuit. neque p. 67. init. τ' ἑαυτοὺς pro τε αὐτοὺς ſcripſiſſet.

Vellem porro, magis ſibi in lectione Dionis & codicis antiqui conſtaret Falco: nam editio ipſa Romana Græci textus ſæpiſſime ab iis, quæ exſtare in codice dicit in notis, aut quæ ipſe certe ſcribenda ducit, diſcrepat. Nam v. g. pag. 51. ante med. συνεγεγονότα perperam exhibet, cum in notis codici ſuo rectius tribuat συνεγεγόνει. p. 60. med. τὰ καὶ τοιόνδε τι, cum in notis ſit, καὶ ταῦτα καὶ τοιόνδε τι. p. 62. init. πεποιήκει, cum notæ habeant ἐπεποιήκει. p. 73. ante med. γράμματι, cum in notis exſtet ὀνόματι. pag. 74. ante med. ἐψήφισαν, in notis ἐψηφίσαντο. Ibid. καὶ τόν τε Μακρῖνον, in notis, καὶ τὸν Μακρῖνον. p. 81. poſt init. τό πρίν, cum in notis legatur ὁπότε. cujus generis multa ſunt alia, quæ chartæ parcens prætereo.

 Vellem

Vellem denique, Xiphilinum noſter, aut fragmenta Peireſciana, & Zonaram, vel etiam Viros eruditos, qui ſobrie caſtigaverant corrupta, non deſeruiſſet temere. Nam quis non videat, pag. 66. med. πρός τινα τῶν ἐπιτρόπων, ἀργύριον αἰτῶν, ſecundum Xiphil. & Zon. meliora eſſe, quam πρός τινα τῶν ἀργυρίου ἐπιτρόπων, αἰτῶν. p. 67. med. ad πεντήκοντα καὶ τέσσαρα ἔτη, addendum eſſe cum Xiphil. & Zon. ἦγε, potius, quam eo omiſſo pendentem relinquere ſententiam. p. 64. ante med. imperite ſcribi ἀσθενεστάτη ἀνίσατο, pro eo quod Xiph. & Urſ. dedere ἀσθενέστατα ἠγωνίσατο. p. 74. voce προσεύχοντο minus recte ſuppleri lacunam codicis, cum εὔχοντο habeant Exc. Peir. Pauca hæc ſunt de multis.

Vellem poſtremo, magis caute & moderate in criſi ſua Dioni & Xiphilino adhibenda verſatus eſſet Noſter. Videtur enim, in Xiphilinum maxime, ubi codex deficiebat, non ſine temeritate graſſari, ut inter cetera Viri merita, illud quod ad criticam artem ſpectat, facile poſtremum fuiſſe dixeris. Perſuaſerat enim ſibi, *ſe, olfactu veluti ex Dionis ſtilo, apprime jam ſibi noto, Dionem in ſequentibus, ab interpolatoribus poſſe eruere, Xiphilino, Zonara, Cedreno & Valeſianis.* vid. nott. p. 167. b. & in præf. p. XXVI. ait, *ſe ex Dionis ſtilo, quem jam ex uſu continuo familiariſſimum ſibi fecerit, ea ferme omnia, quæ ad integritatem horum librorum opus erant, haberi, ſuboluiſſe in Xiphilino.* Hinc illa in mutando confidentia: quæ facit, ut ceterorum Dionis librorum, quam pollicebatur, editionem non magnopere deſideremus.

P. 84. ſub fin. recepit in textum ὡς ἔλεγεν, quod Leunclavius in Blanci codice fuiſſe ſuſpicabatur ex ejus verſione, *ſicuti dicebat;* ſed tamen cautius ad marginem rejecerat. Ego ne quidem ex his verbis Blanci tuto colligi puto, ejusmodi quid in Blanci codice fuiſſe. Poterat enim Blancus his verbis interpretari prætextum Elagabali, Paulinam a ſe repudiatam eſſe, ὡς καὶ κηλίδα τινὰ περὶ τὸ σῶμα ἔχουσαν. Ibid. fin. particulam ὅτι dictis præmiſſam, male omittit.

P. 85. init. pro ἵνα θεοπρεπεῖς παῖδες γεννῶνται, τοῦτ' ἐποίησα, ſcribit - - γένωνται τοῦτο ἐποίησα. Ibid. ante med. ex verbis, καὶ ἐκ τοῦ ἀγάλματος, omittit καί. Ibid. pro ὁ δὲ Σαρδανάπαλος, exhibet,

ὁ δὲ

ὁ δὲ δὴ Σάρδαν. adjiciens in notis: *δὴ ego adſcripſi, non Xiphilinus.*

P. 86. ante med. pro ὅτι τὸ αἰδοῖον περιέτεμε, ut Xiphilinus & Exc. Peir. habent, de ſuo, ſine neceſſitate reponit, καὶ ὅτι καὶ τὸ αἰδ. deinde ſtatim expungit ὅτι neceſſarium, quod eſt apud Xiphilinum. Ibid. poſt med. pro ἑτέροις τῶν συνόντων, ut Exc. Peir. reſcribit ex ingenio, ἑταίροις τῶν συνόντων, perperam ſane. Ibid. fin. pro formula, ἵνα δὲ παρῶ τάς τε &c. velut minus Dionia alteram ex Zon. adhibet, καὶ οὐ μόνον δὲ τάς τε. ſtatim omittit, ὡς ὁ Σαρδανάπαλος. Ibid. fin. fragmentum ex Exc. Peir. ad ſuum plane ſtilum reformat, omiſſis, additis, compluribus verbis.

P. 88. poſt initium deſiderantur verba: ἄνευ τινὸς νομίμου προσρήσεως. Ibid. fin. ἐπόρνευε ſcripſit, pro meliori ἐπορνεύετο, quod reperitur in Exc. Peir. Sermo enim eſt de Venere præpoſtera Sardanapali. Et ſic p. 90. fin. Hierocles vocatur ἀνὴρ αὐτοῦ, cum Xiphil. Exc. Peir. Zon. habeant ἀνὴρ αὐτῆς, recte omnino: nam femina volebat videri, & dici, imo eſſe.

En Tibi, Eminentiſſime Quirine, ſpeciminum, credo, ſatis; ex quibus intelligas, aliquam certe cunctationis meæ culpam conferri debere in multitudinem mendorum, quibus Dio & Xiphilinus, ubi id vel minime exſpectandum erat, fœdiſſime conſpurcati & obruti jacebant. Quanquam vero ea moleſtia, quæ in expurgandis græcis latinisque poſita eſt, jam perfunctus mihi quodammodo (quantula fuit in hac re facultas mea) videor; ſic ut nihil ſuperſit, niſi ut materiam adhuc obſervationum congeſtam ad Xiphilinum a p. 689 - 880. in ordinem redigam; tamen vix mihi unquam diligentia & accuratione facio ſatis, quando in Te & Tua ſcripta cogitationem reflecto, aut præſtantiam cœptæ a Fabricio operæ intueor.

Nam

Digitized by Google

Nam ut huic rudem plane pannum, craſſo filo negligentius velle adſuere, temeritatis & impudentiæ foret: ita Tuis vel maxime oculis non niſi timide & cunctanter ſubjicere aliquid, hujus præſertim generis, poſſum: cum legendis Tuis libris intellexerim ſatis, quantum & quam acute cernas in omni antiquitate, hiſtoria, reque literaria; quanta arte & ſagacitate critica examines, expolias, interpreteris, græcorum latinorumque monumenta. Atque hæc quoque ratio mihi inter ceteras fuit, ad Te ſcribendi, ut facto quodam prius periculo Tuum de mea commentandi ratione, Tuique ſimilium eruditione Virorum, explorarem judicium: quo poſſem monitus adhuc in ceteris vel intendere limam, vel reprimere impetum ingenii, vel circumferre magis oculos & plus cautionis adhibere. Neque ſane ſum neſcius, eſſe in ſuperioribus quædam ancipitis diſputationis; quorſum inter cetera illud περὶ τοῦ λέοντος συμμαχήσαντος τῷ Ἀντωνίνῳ, ad p. 4. & de *Gannyde* vel *Gynnide*, ad p. 55. ſqq. pertinet: in quibus & ſimilibus ſententiam mutare hoc minus erubeſcam. In ſumma, docilem me velim credas eſſe, nec a lapſu me immunem arbitrari. Quodſi fuerint in his ſuperioribus, quæ Tibi non omnino diſpliceant, eo certior mihi ſpes foret, aliorum vere doctorum calculos meæ qualicunque induſtriæ non prorſus denegatum iri. Liceat autem hic ſub Tuis auſpiciis implorare Viros eruditos, ut ſi quid adhuc lectionum in primis variarum ex codicibus MSS. tum & emendationum aut obſervationum ad Dionem habeant in promtu, id conferre ad proximam editionem ne dedignentur. Teneo quidem adhuc præter varias lectiones Vaticanas a Te benigniſſime transmiſſas, & præter ſoceri mei elaboratas usque ad p. 689. animadverſiones, Viri quoque cujusdam docti caſtigationes, Wechelianæ editioni adſperſas. Miſit etiam mihi benevole Vir Politiſſimus, Fridericus Mentzius, Profeſſor Lipſienſis, editionem Dionis Robertinam, quæ fuerat quondam Adriani

Adriani Turnebi, non paucis elegantibus in margine emendationibus inſignem, præſertim in principio: nam quo magis penetro ad medium, eo magis omnia cum Xylandri emendationibus conveniunt. Nuper etiam Abrahamus Gronovius, Vir non Majorum magis quam ſuis in literas meritis clariſſimus, qua ſolet eſſe humanitate, mecum communicare cœpit varias lectiones ex codice Mediceo, quæ in Parentis Jacobi ſupplementis lacunarum prætecritæ ſunt: neque dubito, eum reliqua etiam, quæ ſervat, Dioni ornando idonea, id quod publice nunc multis precibus ab eo contendo, ſuppeditaturum. Quo plura vero ſuperſunt in Dione & Xiphilino, vel mutilata vel corrupta: & quo minor hodie codicum MSS. copia ſuppetit, eo gratius fecerint Viri etiam ceteri, promovendis literis idonei, ſi quid ex Bibliothecis publicis aut privatis ad integrandum & perficiendum Scriptorem præclarum liberalius ſubminiſtrent. Tibi autem, Cardinalis Eminentiſſime, qui promovendis literis nihil non impertire ſoles, ſicut plurima jam debeo, ita non pudet amplius velle debere, ſi quando Tibi placuerit, codicem illum antiquiſſimum Vaticanum, a viro non indocto, Te auctore, denuo inſpici. Noſti enim, ad recte legenda antiqua, non tantum oculis & diligentia plurium, ſed & eruditione, judicio, ſagacitate, ac prope divinatione quadam, in quibus homo homini præſtat, opus eſſe; præſertim in codice mutilato, qui & literis inſolentioribus, iiſque paſſim evaneſcentibus, ſine accentuum notis, & ſine ulla literis, verbis, ſententiis, interpoſita diſtinctione aut ſpacio, exaratus deprehenditur: cujus ideo particulam deſcriptam ſubjunxi, ut cures haud gravatim explorari, num ad exempli ſimilitudinem fideliter expreſſa, atque hinc digna ſit, quæ in ipſius Dionis præfatione exhibeatur. Ita Tuo memorabili beneficio, Tuaque illuſtri liberalitate, addito etiam cumulo, antiqui ſplendoris non parum Dioni reſtituetur, meque Tibi non tantum, ſed omnes eruditos,

G & poſte-

& poſteritatem omnem, immortali munere hoc magis devincies. Quod reliquum eſt, ut hunc Tibi, quem ingredimur annum, cum longa ſequentium ſerie Deus O. M. fortunet, Teque decus Italiæ, præſidium literarum, virtutis & humanitatis exemplum, quam diutiſſime ſalvum & florentem ſervet, ſincera mente precor

Reverendiſſimi Nominis Tui

Dabam Hamburgi,
Kal. Jan. A. cIↃ IↃCC XLVI.

obſervantiſſimus cultor,

Hermannus Samuel Reimarus.

ΩCΚΑΙΚΑΤΑCΤΗCΑΙΤΑΕ-
ΤΗΙΑCΙΑΙΔΥΝΗCΟΜΕΝΗC
ΕΤΥΧΕΝΕΠΙΤΕΝΩΔΩΙ
ΟΝΤΑΑΥΤΟΝΗΔΗΚΑΙΠΛΗ
CΙΑΖΟΝΤΑΤΩΕΘΝΕΙΤΗΝ
ΓΑΡΠΑΡΑΙΤΗCΙΝΗΙΠΑΡΑ

Cod. pag. 6. col. 2. verſu 3.

ὡς καὶ καταςῆσαι τὰ ἐν
τῆι Ἀσίαι δυνησομένης,
ἔτυχεν ἔπιτ' ἐν ὁδῶι
ὄντα αὐτὸν ἤδη, καὶ πλη-
σιάζοντα τῷ ἔθνει, τὴν
γὰρ παραίτησιν ἣι παρὰ

vid. edit. Rom. p. 36. fin.

Emendandum p. 9. ſub fin. *conf. numum:* conf. tamen numum.
p. 27. med. *ad καταλελυκέναι pertinens:* pertinente.

99959745

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google